PRIMA

SYNODUS DIOECESANA

PRIMA SYNODUS
DIOECESANA

QUAM

ILLUSTRISSIMUS ET REVERENDISSIMUS DOMINUS

CAJETANUS BRINCIOTTI

DEI ET APOST. SEDIS GRATIA

EPISCOPUS BALNEOREGIENSIS ET PATRICIUS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PRAELATUS DOMESTICUS

AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

IN ECCLESIA CATHEDRALI CIVITATIS BALNEOREGII

REGNANTE SANCTISSIMO D. N. PIO PAPA IX.

HABUIT

DIEBUS S. PENTECOSTES 27. 28. 29. MAJI

ANNO MDCCCLX.




VITERBII

PRELIS EPISC. SPERAINDEO POMPEI

1862.

V

INDICTIO SYNODI



CAJETANUS BRINCIOTTI

DEI ET APOST. SEDIS GRATIA

EPISCOPUS BALNEOREGIENSIS ET PATRICIUS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PRAELATUS DOMESTICUS

AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

Ex nostris Literis diei 9 Octobris 1857. didicistis, Venerabiles Fratres, et Filii carissimi, animum, et studia Nos intendere, ut Synodum Diœ-

cesanam cogeremus (1). Vos alacri contentione respondistis, et notanda suppeditastis. Dirigentibus Benedicti

---

(1) Al Venerando Clero della Città, e Diocesi di Bagnorea — Chi ama da Pastore, prova sperimentalmente l'impulso, che manifestava l'Apostolo ai Corinti (2. Chor. 12 15.) *libentissime impendam: et superimpendar ipse pro animabus vestris.* Lieto quindi scorge, nè lascia sfuggire ogni opportunità salutare a suoi diletti; e qual Padre solerte esplora i bisogni, consulta i figli, trae profitto dalla loro saggezza per risolvere poi con maturità, ed impegnarli a cospirare unanimi in mantenere, difendere, prosperare la famiglia, banditane ogni idea di apatia, e di egoismo.

Gran parte di tali sollecitudini ci fù dalla Divina grazia concesso esaurire in questo primo triennio, e specialmente in sacra Visita. Ma lo spirito della Chiesa, gli esempj di zelanti Pastori, gl' incitamenti del supremo Gerarca altro più copioso, e durevole frutto ci fanno sperare dall' adunanza generale del Clero per celebrare il Sinodo Diocesano. Prima però di determinare l' indizione, ci rivolgiamo a Voi, venerandi Ecclesiastici, perchè tenendo innanzi agli occhj il fine unico di servire il gran Padrone, e cooperare alla sua immensa carità nella salvezza delle anime, aprir ci vogliate, quanto per scienza propria, o per sentimento di persone religiose, e saggie vi è dato scoprire di occorrenze, che chiamino la nostra attenzione e providenza circa l' esercizio del Culto, Predicazione, Insegnamento, osservanza delle Feste, circa la custodia del deposito della Fede, della Morale, e Disciplina, circa l' andamento delle Confraternite, e pii Luoghi, sodisfazione di Legati, adempimento di doveri, e sù tutt' altro, che costituir possa una ordinata e florente Diocesi. Valuteremo le vostre osservazioni e rilievi nella compilazione degli atti preparatorj secondo le norme dell' immortale Benedetto XIV. All' uopo sarà molto utile, che dalli Sig. Vicarj Foranei si tengano, e ripetano dei congressi coi RR. Parochi, e coi Capi delle Confraternite, e Luoghi pij, e con altre persone esperte e discrete, avendo presenti i quesiti da noi proposti per la Sacra Visita, ed il vigente Sinodo Elisei. Attenderemo da ciascuno, cui è indirizzata la presente, il suaccennato informativo

Papæ XIV. doctrinis, adjutoribus viris scientia, pietate, rerum usu probatis, studia nostra præsto sunt, et nihil optabilius pastorali nostræ sollicitudini potest evenire, quam eadem in spectatissimo vestro Cœtu unanimi charitate conferre.

Plures equidem universi Cleri conventus a præclaris Decessoribus nostris fuerunt celebrati, eorumque actuum regesta octo super decem nostra servat Cancellaria (1). Saluberrimæ quoque ab aliis illustribus Præsulibus ordinationes prodierunt. Nos

---

dettaglio entro il termine di due mesi, nell'atto di impartire al medesimo, ed a quanti gli sono affidati, la pastorale nostra Benedizione. — Bagnorea dalla nostra Residenza 9. Ottobre 1837. — GAETANO VESCOVO DI BAGNOREA.

(1) *Pertinent prædictæ Synodi ad Episcopos* Umbertum Locati Placentinum A. 1573. — Carolum Trotti Ferrariensem. A. 1599. — Lelium Ruina Bononiensem A. 1615. — Carolum Bovio Bononiensem A. 1629 - 1632 - 1633 - 1634. — Petrum Paulum Febei Urbevetanum A. 1659. . . . A. 1646, quo anno inscribitur *hac in Diœcesana Synodo VI.* — Vincentium Candiotti Vadensem A. 1679. — Uldericum Nardi Aretinum A. 1703. — Honuphrium Elisei Fulginatem A. 1710 - 1718. — Honuphrium Pini Auximanum A. 1743. — *Usque ad annum 1679. celebratæ fuerunt in antiqua Cathedrali S. Donati; deinceps in nova Cathedrali SS. Donati, Nicolai, Bonaventuræ.*

cuncti gregis felicitati non periturae quaqua versum inservire cupidi, magis apta, tanquam flores legere, colligare, unum efformare fasciculum, uno sub intuitu ponere adnisi sumus; non apparatum, aut congeriem efferentes, sed pro rerum, ac temporum conditione breviantes, custodientes, vel immutantes, ne ab illo Magistro Bono simus degeneres, qui jugum suum asseruit suave, et onus suum leve.

Quod si primum Dei immortalis, unde bona manant omnia, benignitati gratiæ sint habendæ, vestræ deinde solertiæ sit gratulandum, duram haud premere necessitatem Synodi indicendæ vel ad fræna licentiæ injicienda, vel ad irreligiositatem propulsandam; non idcirco profectus, et utilitates maximæ ab ea profluentes, et a Benedicto XIV. l. 1. c. 2. Syn. Diœc. relatæ, effectu suo frustrabuntur. Abjecta enim, si quæ

sint, reducentur, sanabuntur infirma, degustabit quilibet « quam bo-
« num, et quam jucundum habitare
« fratres in unum » propter Deum,
« et propter Christum « ex quo, ut
« ait Paulus, totum corpus compa-
« ctum, et connexum per omnem
« juncturam subministrationis, secun-
« dum operationem in mensuram u-
« niuscujusque membri, augmentum
« corporis facit in ædificationem sui
« in charitate « (Eph. 4. 16): postremo complebuntur, quæ Episcopis sapientissime tradit SS. Dominus Noster PIUS PAPA IX. in encyclicis literis diei 8. Decembris 1849; nec non in Allocutione Romæ habita 9. Decembris 1854, Nobis adstantibus, cum memorabile decretum proclamavit de B. M. V. sine labe concepta. Majorem ad consilium perficiendum adjecere impulsum Eminentissimi Patres Sacri Tridentini Concilii Interpretes in humanissimo responso diei

20. Decembris 1858. ad nostrae Ecclesiæ status relationem.

Igitur ad populi universi salutem, ad pietatis, et Religionis incrementum, Vobis infirmitatem nostram levantibus, quæ accomodatiora, et salubriora videbuntur, conspirantibus, et consentientibus animis, firmiori, tutiorique judicio, ordinatissime statuentur; mature, prudenterque statuta in suo robore perstabunt; et ne delitescant, in cordibus figetur, et vallabitur observantia a Vobismetipsis, quibus de iis deliberatis, gestis, executis justo Judici rationem reddendam persuasissimum est.

Jam nunc auctoritate Nobis a sacris Canonibus adfirmata, Tridentini Oecumenici, ac Romani Conciliorum scita, qua par est reverentia et obedientia, prosequentes, **SINODUM** indicimus in Cathedrali nostra celebrandam Dominica tertia post Pascha, et duabus feriis sequentibus,

diebus nempe XV. XVI. XVII. adventientis Maii.

Convocamus, et peramanter invitamus Sanctæ Majoris nostræ Ecclesiæ Capitulum; simulque monemus in Domino, et monendo præcipimus omnibus, et singulis Dignitatibus, et Canonicis tum ejusdem Cathedralis, quam Collegiatæ Ecclesiæ Castilionis, necnon Vicariis Foraneis, Prioribus, Archipresbyteris, Parochis, Presbyteris, Beneficiatis, Clericis vel in sacris, seu in minoribus Ordinibus constitutis, cæterisque sive Secularis, sive Regularis Cleri, qui jure, aut consuetudine Sinodalibus Comitiis interesse tenentur, ut in virtute sanctæ Obedientiæ, et sub pœnis in jure statutis accedere debeant per seipsos, non per nuncios, vel procuratores, nisi causa eos excuset tanquam legitima prius a Nobis cognoscenda, et admittenda, nec inde discessuri, donec sacro dimisso cœtu

ad sua revertendi potestatem fecerimus.

Conveniant omnes summo mane clericali talari habitu, tonsura, galero, mundis superpelliceis, ac ornamentis cuique congruentibus instructi. In hospitiis designatis cibum sumant, et pernoctent, neque alio divertant, Nobis, vel hospitiorum præfectis inconsultis. Prima Synodi die, qui sacris non sunt operati, et qui Sacerdotali ordine non sunt insigniti, accedant jejuni, ut Nobiscum rem divinam Pontificali ritu peragentibus Agni Carnibus vescantur.

Animarum Curatores, priusquam a propria discedant residentia, suos commissos, ne quid, ipsis absentibus, detrimenti capiant, hortationibus communient, ad Sacramenta allicient, de ægrotis inquirent, eosque benigne invisent; suas autem vices, præcipue explendas in Dominica, credent Sacerdoti sæculari, vel regula-

ri a Nobis approbando. Iidem triduo ante Synodum aderunt in Civitate, ubi cum Clero urbano in Seminarium confluent, piis meditationibus Deum propitium conciliaturi.

Parochi in civitate, Vicarii Foranei in Diœcesi ante Pascha syllabum eorum præbeant, qui interesse tenentur, expresso ordine, munere vel beneficio etiam simplici, quo potiuntur.

Omnes convocati eam in itinere, in urbe, in quolibet loco præseferant modestiam, frugalitatem, gravitatem, qua sacræ actionis vim commendent, et « sit odor vitæ eorum « delectamentum Ecclesiæ Christi » Cætera de scrutiniis, de supplicationibus, de ordine vivendi, et sedendi, a Synodi Officiariis nostro nomine illis significabuntur.

Spiritualia stipendia Pontifex Maximus PIUS PAPA IX., quem Deus Christianæ reipublicæ, et Ditionis

Ecclesiasticæ bono diutissime sospitet, largiri dignatus est: siquidem Cathedralem uno ex præfixis tribus diebus devote visitantibus, vere pœnitentibus, confessis, et sacra Communione refectis, ibique juxta mentem Suam pie aliquo tempore orantibus, plenariam Indulgentiam, semel tantum lucrandam, misericorditer concessit.

Cum autem virtute nostra nihil valeamus, nisi Illius, qui Lux, Via et Veritas est, cœleste accesserit subsidium, idque supplicibus tum publicis, tum privatis obsecrationibus petendum sit, eas propterea, acceptis nostris hisce Literis, Parochi primo die Festo Christi fidelibus indicent, dum præsentes legent, et explanabunt. Litaniæ Sanctorum diebus Dominicis, incipiendo a prima Aprilis, post Missam Majorem singulis in Ecclesiis recitabuntur, Nosque tribuimus interessentibus quadraginta die-

rum Indulgentiam. In Sacrificiis quotidianis ab eadem die addatur collecta ad impetrandam gratiam Spiritus Sancti. Dominica Synodum præcedente, qua Balneoregiensis Ecclesia Deiparæ de Bono Consilio gaudet festivitate, in omnibus paræciis Divinissima EUCHARISTIA in Pyxide contenta per aliquas horas ad Tabernaculi ostiolum decenter exponatur, populo ad preces fundendas invitato. Idem fiat in Ecclesiis Sacrarum Virginum. Excitetur etiam populus ad cordis munditiem, necnon ad Angelos Tutelares, cœlites Patronos humiliter invocandos, ut ipsis cum cœli, terræque Regina Domina nostra Sancta MARIA intercedentibus, consilii donum nostris mentibus effulgeat.

Nostris denique est in votis, Fratres et Filii dilectissimi, ut erigatur fiducia vestra ad felicissimum Matris Dei Sponsum Beatum JOSEPHUM,

sub cujus patrocinio Synodalia Comitia celebrabimus. Ita bene, fausta Nobis erunt omnia, quemadmodum illi evenerunt patrifamilias, de quo enarrat sapiens: « statuet filios suos « sub tegmine Illius, et sub ramis Ejus « morabitur: protegetur sub tegmi- « ne Illius a fervore, et in gloria « Ejus requiescet. (Eccli 14. 26. 27.)

Ne cui vero ignorationem sit prætendendi locus, has Edictales Literas promulgari, et Cathedralis, ac Parochialium omnium valvis adfigi mandamus.

Datum Balneoregii ex nostris Aedibus Episcopalibus pridie Idus Martii, festo Translationis Seraphici Doctoris, et Civis S. BONAVENTURÆ Urbis, et Diœcesis Patroni, anno ab Incarnatione Domini Nostri JESU CHRISTI MDCCCLIX.

C. EPISCOPUS BALNEOREG.

Secundus Vezzosi Canc. Episc.

CAJETANUS BRINCIOTTI
PATRITIUS BALNEOREGIENSIS
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPUS BALNEOREGII
SS. D. N. PII PAPAE IX. PRAELATUS DOMESTICUS
ATQUE PONTIFICIO SOLIO ADSISTENS.

DECRETUM

Synodalis Conventus prorogatur. Edicentur dies præfiniendi. Statae preces non interrumpantur, nisi Augustissimae Eucharistiae adoratio, quae ad Dominicam immediate praecedentem futurae indictioni erit protrahenda.

Datum Balneoregii ex Episcopali Residentia 5. *Maji* 1859.

✠ C. EP. BALNEOREG.

*

DE MANDATO ILLMI. ET REVMI.

D. N. EPISCOPI

Synodus Dioecesana jam indicta, *Deo juvante*, *habebitur in Solemnitate Pentecostes*, *diebus* 27, 28, 29 *Maji* 1860. : *ideoque omnes in Synodi Indictione descripti*, *ea impleant*, *quae in Edicto* 14. *Martii* 1859. *sunt demandata*.

Datum Balneoregii ex Aedibus Episc. 10. *Maji* 1860.

OCTAVIANUS CANCUS. ZANNINI
A SECRETIS.

ORATIO

AD UNIVERSUM CLERUM
HABITA AB ILLMO. ET RMO. D. EPISCOPO
IN PRIMA SYNODO DIOECESANA

Et ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau: et erit Domino Regnum. ABD. V. 21.

Ad regem Salomonem in Jerusalem convenerunt majores natu Israel, cum principibus tribuum, et duces familiarum, ut deferrent arcam (1) foederis: ad Episcopum venerunt hodie cuncti senes de Israel; et Arcam foederis, Thesaurum sapientiae, Ærarium recti consilii Sacerdotes, et Levitae hoc in majus Templum detulerunt (*). Quid novi, Fratres, et Filii in Christo carissimi, hodie

---

(1) 3. Reg. VIII.

(*) Refertur ad venerabilem Iconem Deiparæ de Bono Consilio, quæ in Processione Synodali ab aede sacra Seminarii delita fuit in Cathedrale Templum, populo non tantum ex novitate rei, sed pro maxima in eam pietate circum_undique affluente.

factum est ? Replevit quidem nebula domum Domini, postquam Sacerdotes arcam intulerunt in Sanctuarium; sed hodie non domus, non templum; orbis ipse terrarum repletus est Spiritu Sancto, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Non poterant tunc ministrare Sacerdotes ob stuporem quemdam a nebula inductum : hodie e converso spiritus vehemens, tonitruus magnus, flamma ignis nova promit oracula, pusillanimitatem evacuat, guttur informat, aures omnium ad unius loquelam proprio aptat idiomati. Quid itaque opportunius, magisque consultum ducibus Israel, quam ipsos sacratissimo Pentecostes die in unum convenire, et consilium ab Arca testamenti, a Genetrice Domini Jesu requirentes id praestare quod Abdias praedixerat « erit domus Jacob i- « gnis, et domus Joseph flamma, et domus Esau « stipula ? » (1).

Statutum est, Venerabiles Fratres, Filiique, a sapientissima Christi Sponsa, et Matre nostra Ecclesia Sancta, ut quocumque tempore, quæcumque recidat Festivitas, in Synodalis actus celebratione vestes sacræ rubro ignescant colore, eaque

---

(1) *Abd. v. 18.*

indesinenter gerantur a Praesule, et circumstante Senatu, necnon ab omnibus, qui in consessu Sacerdotali sunt majores. Declaratur hoc symbolo, quod antiqui pacti Sacerdotes, si apparente in nebula gloria Domini non poterant stare et ministrare ob sacrum pavorem, et mentis excessum, hodie ex opposito novae legis Sacerdotes lucent, candescunt ut ignis tanquam praecones intrepidi, tanquam adsertores nunquam tepentes, tanquam fulgura obstinatis, et suavis lux, et fovens calor probis et justis.

Numquid igitur in sacro hoc conventu pacatissima illa tranquillitas erit extranea, quam effervescentes haud noscunt, ut ad suum arbitrium omnia trahant? Ardor ab homine procedens, quem aliqua ex cupiditatibus concitavit, non animi magnitudinem, sed insanum impetum ostendit, unde si aliqua vice sed perrara bonus eveniat effectus, incomparabiles sunt ei conjunctae calamitates. Non hic igitur fervor esset, quem ignitus color vestium praefigurat. « Quod Synodali conventione nostra, ait Pontificale Romanum, statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctae pacis ab omnibus aeque custodiatur, ac teneatur. » Ad evitandas turbas, ait

praeclarus Benedictus Papa XIV. (1) et praecavendos tumultus, qui certe fierent, si singulis de Clero venia daretur reclamandi adversus decreta, quæ in Synodo promulgantur, solet Episcopus aliquem constituere totius Cleri Procuratorem, qui omnium nomine, ea tamen, qua decet, modestia, et reverentia, dicat in Synodo, quae Clero displicent, quaeque ex iis, quae aut statuta, aut statuenda sunt, difficiliora, et aspera videntur; simulque modum suggerat, quo illa emolliri Clerus optaret: omnia porro, quae nomine Cleri petierit, scripto tradat Synodi Secretario ». Exemplum patescit in Synodo Nardi, ubi simili tranquilla methodo temperatum est suspensionis decretum contra Parochos christianam doctrinam tradere omittentes.

Alius igitur ignis in uniuscujusque corde est desiderandus, ille scilicet, qui corda discipulorum dulciter hodie inflammavit, ut sitis domus Jacob ignis, domus Joseph flamma. *Deus noster* (ita de superno hoc igne hom. 30. de Sancto Pentec. mire alloquitur D. Gregorius Papa) *ignis consumens est.* (2) » Deus quippe ignis dicitur, quia

---

(1) De Syn. Dioec. lib. IV. cap. 1. n. IV.
(2) Heb. 12 9.

» per hunc peccatorum rubigo consumitur. De hoc
» igne Veritas dicit: *ignem veni mittere in ter-*
» *ram, et quid volo nisi ut accendatur?* (1) Terra
» enim vocata sunt corda terrena, quae dum sem-
» per infimas in se cogitationes congerunt, a ma-
» lignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Do-
» minus in terram mittit, cum afflata Sancti Spi-
» ritus corda carnalium incendit. Et terra ardet,
» cum cor carnale in suis pravis voluptatibus fri-
» gidum, relinquit concupiscentias præ entis sæ-
» culi, et incenditur ad amorem Dei. Bene ergo
» in igne apparuit Spiritus, quia ab omni corde
» quod replet, torporem frigoris excutit, et hoc
» in desiderium suae aeternitatis accendit. In i-
» gneis autem linguis monstratus est; quia idem
» coaeternus est Filio, et habet cognationem ma-
» ximam lingua cum verbo. Verbum quippe Pa-
» tris est Filius. Et quia una est Spiritus, et Ver-
» bi substantia, idem Spiritus monstrari debuit
» in lingua. Vel certe, quia per linguam proce-
» dit Verbum, in linguis apparuit Spiritus, quia
» quisquis Sancto Spiritu tangitur, Dei Verbum,
» idest Unigenitum Filium confitetur; et negare

---

(1) Luc. 12.

» Dei Verbum non valet, quia jam Spiritus Sancti linguam habet. Vel certe in linguis igneis apparuit Spiritus, quia omnes, quos repleverit, ardentes pariter, et loquentes facit. Linguas igneas doctores habent: quia dum Deum amandum praedicant, corda audientium inflammant. Nam et otiosus est sermo docentis, si praebere non valet incendium amoris. Hoc doctrinae incendium ab ipso Veritatis ore conceperant, qui dicebant: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?* (1) Ex audito quippe sermone inardescit animus, corporis frigus recedit, fit mens in superno desiderio anxia, a concupiscentiis terrenis aliena. Amor verus, qui hanc repleverit, in fletibus cruciat; sed dum tali ardore cruciatur, ipsis suis cruciatibus pascitur. Audire ei libet praecepta coelestia; et quot mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur: et quae torpebat prius per desideria, ardet postmodum per verba. Unde bene per Moysen dicitur: *in dextera ejus ignea lex.* (2) Sinistra quippe reprobi, qui ad sinistram po-

---

(1) Luc. 24. 7.
(2) Deut. 33.

» nendi sunt: dextera autem Dei appellantur e» lecti. In dextera ergo Dei lex ignea est; quia » electi mandata coelestia nequaquam frigido corde » audiunt, sed ad haec amoris intimi facibus inar» descunt. Sermo ad aurem ducitur, et mens eo» rum sibimet irata, ex internae dulcedinis flam» ma concrematur ».

Ex D. Gregorii magisterio pronum est, Fratres, Filiique carissimi, addiscere, quomodo Esau stipulam oporteat incendere. Domus Esau domus est diaboli, domus est praevaricantium, et inique agentium. Vos ascendistis ad montem, convenistis ad Nos judicare montem Esau; ignis divinus, flamma charitatis incendet stipulam; Vos eritis Salvatores; et erit Domino regnum.

Quinque Synodi partes ordinatissime distributae porrigunt Vobis totidem characteres operationis intimae in anima viatoris. Anima siquidem quinque sub respectibus se habet, ut illa exurgat supernaturalium cogitationum, affectuumque complexió, necnon virtutum omnium fundamentum *Pietas* appellata: Haec in Religionis exercitio Deum respiciens uti omnium Conditorem, Omnipotentem, et summam Veritatem, — uti munificum Benefactorem, et incommutabile Bonum, — uti providentissimum Ordinatorem, et Dominum uni-

versalem, — uti Sanctum, Omniscientem, Judicem, Remuneratorem ac Vindicem, Deum ipsum honorat, et colit: — 1. per fidem, profundamque demissionem, ac reverentiam: — 2. per gratitudinem, spem, et amorem: — 3. et 4. per obedientiam, conjunctionem, ac inviolabilem in personas, et institutiones ecclesiasticas cultum: — 5. per vitae integritatem in se, aedificationem erga alios. — In hac interioris hominis, mutuique nexus operatione seu dirigenda, seu moderanda, seu flectenda, seu coelesti virtute roboranda tota Synodi actio vim suam exerit, duplicem sibi praefigens scopum, nempe ut *incendatur Esau stipula*; — *ut sit Domino regnum.*

Ad quas Ministerii nostri partes majori usque alacritate explendas confirmant Allocutiones, Encyclicae, et privata benignissima Brevia Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri, D. PII PAPAE IX. ut firma sit expectatio coelestis auxilii in tantis, quibus Sancta Ecclesia contristatur calamitatibus, et graviori, quae incumbit tribulatione ad vexandam Petri Sedem excitata. Si Deus Ecclesiam suam, praestituto tempore, splendido laetificaturus est triumpho: Clero interim strenue adlaborandum est ad oves saginandas, vel retrahendas, vel humeris portandas,

prout tradidimus in pastorali epistola 12. elapsi Februarii.

Proinde comunis exacuendus est zelus, servata in omnibus praeceptione D. Bernardi: « Ze« lum inflammet charitas, informet scientia, fir« met constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, « sit invictus: nec teporem habeat, nec careat « discretione, nec timidus sit ».

Laetandum profecto amantissimo est Pastori, quod oculos in ora vestra conjiciens et in triduana praeparatione, et in praesentiarum, ex ipsa omnium vultus hilaritate perspiciat, abesse hinc morosam illam, et disceptatricem obedientiam, quam reprobat D. Augustinus, sed in Vobis, et per Vos ostendi, Balneoregiensem Ecclesiam « Episcopo suo (prout inculcabat S. Evaristus « Papa) in omnibus obedire, eumque diligere, « et amare ut animam suam ».

Quid inde eveniet, si Constitutionibus hisce Synodalibus, selectis spectatorum Hominum adjutorio, studiisque (uti in Indictionis edicto) digestis, prompta hilaris, constans, et uniformis praestetur observantia? *Erit Domino regnum* juxta Abdiae oraculum. » Disce hinc (compendiose exponimus cum Alapide hoc loco) summam felicitatem hominis esse, si fiat Dei regnum, si Deus

in eo, ejusque anima regnet, idque 1. quia Deus est Rex aequissimus, et benignissimus, ac proinde summa aequitate, et suavitate imperat: 2. quia regnum hoc Dei consistit in gratia et virtutibus quae sunt dona nobilissima, ut iis dirigatur ad Dei obsequium, summumque suum bonum: 3. quia hoc regnum dirigitur non ad Dei regentis, sed animae, quae regitur, utilitatem, eamque maximam: 4. quia regnum hoc subditos non facit viles, sed nobiles, imo reges, per rationem, prudentiam, continentiam memoriae, voluntati, appetitui concupiscibili, phantasiae, oculis, auribus, linguae, ori, caeterisque potentiis et membris sapienter aeque, ac fortiter dominando. Ergo, o Domine, esto Rex noster, Legifer noster, regna in nobis, offerimus tibi animas nostras, omnesque ejus potentias, dotes, et limites; nos ipsi eas regere non possumus; ut eas tyranni, mundus, caro, et daemon regant, nolumus: Tu, qui eas creasti, et tuo Sanguine redemisti, illas ipsas, ut tuum peculium, ut tuum regnum rege, qui solus regis sapienter, clementer, potenter aeque ac utiliter, et feliciter «. Hoc impetrent nobis, universoque Gregi piissimæ Deiparentis de Bono Consilio preces validissime; intercedentibus etiam Angelorum Tutelarium, et Coelitum Patronorum,

praecipue Seraphici Doctoris, et Concivis S. Bonaventurae suffragiis, ut Synodali huic optatissimo Conventui apte quadret Abdiae oraculum: « *ascendent salvatores in montem Sion judicare montem Esau*: *et erit Domino regnum.* »

OFFICIALES SYNODI

PROMOTORES

Rm̃us D. JOANNES FRANCISCUS VEZZOSI Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis, et Sacrae Theologiae Doctor.

Rm̃us D. ANDREAS AGOSTINI Ecclesiae Cathedralis Canonicus.

Rm̃us D. ALOISIUS VITTORI Ecclesiae Cathedralis Can. honorarius, et Archipresbyter Ecclesiae Muniani.

SECRETARIUS SYNODI

Rm̃us D. OCTAVIANUS ZANNINI Ecclesiae Cathedralis Canonicus, et in V. Seminario—Collegio Eloquentiae Professor.

LECTORES CAPITUM SYNODI

Rm̃us D. ANGELUS MARINI Parochus et Canonicus Ecclesiae Cathedralis.

Rm̃us D. CRISPINUS CATTERUCCIA Cappellanus Ecclesiae Lubriani.

JUDICES QUERELARUM ET EXCUSATIONUM

Rm̃us D. ALOISIUS JANNI Canonicus Prior Ecclesiae Cathedralis.

Rm̃us D. DOMINICUS VEZZOSI Canonicus Ecclesiae Cathedralis et in V. Seminario—Collegio Philosophiae Professor.

THEOLOGI SYNODI

Rm̃us P. ANTONIUS A RIGNANO Ex—Proc. Geñlis Ord. Min. S. Francisci de Observ.

Rm̃us D. ALOISIUS BACCHI Ecclesiae Cathedralis Canonicus et Theologiae Dogmaticae in Ven. Seminario—Collegio Professor.

Adm. R. P. HYACINTHUS PELLEGRINETTI Ordinis Praedicatorum.

CANONISTAE SYNODI

Rm̃us D. PETRUS ARTEMI Ecclesiae Cathedralis Canonicus, Juris utriusque Doctor et Professor in Ven. Seminario—Collegio.

Rm̃us D. XAVERIUS BACCHI hujus Cath. Eccl. Canonicus honorarius, et Can. Coll. Basil. S. M. in Monte Sancto, U. J. Doctor, et in Pont. Sem. Rom. juris Civil. Antecessor.

PROCURATORES CLERI

Pro Clero Urbano

Rm̃us D. ALOISIUS URBANI Ecclesiae Cathedralis Canonicus.

Pro Clero Foraneo

Adm. R. D. HANNIBAL BERNESI Presbyter Ecclesiae Civitellae Alleani et Vicarius Foraneus.

MAGISTRI CAEREMONIARUM

Adm. R. D. HIERONYMUS BELLI Ecclesiae Cathedralis Cappellanus.
R. D. THEOPHILUS COLESANTI Presbyter.

PRAEFECTI DISCIPLINAE

Rm̃us D. HIERONYMUS VEZZOSI Ecclesiae Cathedralis Canonicus.
Adm. R. D. FRANCISCUS ZANNINI Archipresbyter Arcis Alvetiae.

PRAEFECTI HOSPITIORUM

Rm̃us D. HIERONYMUS VEZZOSI Ecclesiae Cathedralis Canonicus.

Adm. R. D. SEPTIMIUS MARINI Eccl. Cath. Cappellanus et in Ven. Seminario—Collegio Grammaticae Inferioris Magister.

CONFESSARII CLERI

Ex Clero Saeculari

Rm̃us D. VICTOR POMPILI Parochus et Canonicus Ecclesiae Cathedralis et in Seminario—Collegio Cantus Gregoriani Magister.

Rm̃us D. LEANDER TRAVAGLINI Ecclesiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius et in Seminario—Collegio Theologiae Moralis et Sacrae Lyturgiae Magister.

Rm̃us D. RAYMUNDUS TRANQUILLI Canonicus, et Parochus antiquae Ecclesiae Cathedralis.

Adm. R. D. HIERONIMUS MONTI Insignis Ecclesiae Collegiatae Castilionis Archipresbyter.

Adm. R. D. JOANNES ARTEMI Ecclesiae Polymartii Archipresbyter.

Ex Clero Regulari

R. P. JOSEPH GALANTI Guardianus in hoc Coenobio Min. Conventualium.

R. P. JOANNES MARIA A CERIANA Guardianus in hoc Coenobio FF. Capulatorum.

R. P. JOANNES MARIA A CERIANA Capulatus Sacerdos.

HOSTIARII

Adm. R. D. NICOLAUS GENTILI Eccl. Cath. Cappellanus et in Ven. Seminario—Collegio Grammaticae Superioris Magister.

Adm. R. D. NICOLAUS COLESANTI Diaconus, et Cappellanus Eccl. Cath.

NOTARIUS SYNODI

D. SECUNDUS VEZZOSI Cancellarius Episcopalis.

TESTES SYNODI

Illm̃us D. FRANCISCUS ONELLI Gubernator.

Illm̃us D. LIBORIUS LEONIDI Patricius et Confalonerius.

INDEX

PARS PRIMA

DE FIDE CATHOLICA ET RELIGIONE

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS

PARS TERTIA

DE PERSONIS ECCLESIAE

PARS QUARTA

DE LOCIS PIIS

PARS QUINTA

DE SACRIS, DE RECTA MORUM DISCIPLINA, ET DE FORO EPISCOPALI

IN NOMINE SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI AMEN.

NOS CAJETANUS BRINCIOTTI

PATRITIUS BALNEOREGIENSIS, DEI ET APOSTOL. SEDIS GRATIA S. BALNEOREGIENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS, EIDEM S. SEDI IMMEDIATE SUBJECTUS SS. DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX. PRAELATUS DOMESTICUS, AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS.

AD DEI OMNIPOTENTIS GLORIAM, ET LAUDEM, AD HONOREM BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE AB ORIGINE IMMACULATAE, SANCTORUM APOSTOLORUM PETRI ET PAULI, SANCTI BONAVENTURAE ECCLESIAE DOCTORIS SERAPHICI CONCIVIS, AC PRINCIPALIS PATRONI HUJUS CIVITA-

TIS ET TOTIUS DIOECESIS, SANCTI ILDEBRANDI BALNEOREGIENSIS EPISCOPI, ET S. VICTORIAE VIRGINIS ROMANAE MARTYRIS HUJUS CIVITATIS COMPATRONORUM, SANCTORUMQUE DONATI EPISCOPI, ET MARTYRIS, ATQUE NICOLAI EPISCOPI, ET CONFESSORIS TUTELARIUM CATHEDRALIS ECCLESIAE, NEC NON AD SPIRITUALE GREGIS NOBIS CONCREDITI BONUM, ET SALUTEM, EA, QUA SIVE ORDINARIA, SIVE DELEGATA FUNGIMUR, AUCTORITATE, HAS, QUAE SEQUUNTUR, CONSTITUTIONES IN HAC PRIMA NOSTRA DIOECESANA SYNODO, RITE CONGREGATA, IN PERPETUUM VALITURAS DECERNIMUS, SANCIMUS, ET PROMULGAMUS.

SYNODALIUM CONSTITUTIONUM

PARS PRIMA

DE FIDE ET RELIGIONE

CAPUT I.

DE CATHOLICA FIDE TENENDA ET PROFITENDA

1. A fide principium: ab ipsa Catholica Fide exordiri sit fundamentum, in quo nitantur, et unde hae nostrae synodicae assurgant constitutiones; quae potissimum eo spectant, ut concreditus nobis populus ad germanam sinceramque Jesu Christi pietatem instituatur, vehementerque excitetur. Namque Fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis (1) justificationis. Hinc nihil est homini dignius Fide, qua ad Deum accedimus; per quam acceptissimum Deo, cum intellectum subjicimus, exhibemus obsequium; ex

---

(1) ad Hebr. 11. 6.

qua eam, quam loquimur in mysterio, sapientiam (1) haurimus.

2. Cum vero sine fide impossibile sit ad filiorum Dei consortium pervenire (2); hinc fit, ut per fidem sit de Diabolo, et de mundo victoria nostra. Sancti enim per fidem vicerunt (3) regna; adepti sunt repromissiones; nec homines illud, quod Deus Pater a constitutione (4) Mundi fidelibus suis paravit, regnum, nisi per fidem, assequentur.

3. Verum dolendum est vehementer, quod fides haec nefario semper fuerit attentata bello, atque acerrimis nunc sit petita conatibus. Dolosa enim Pantheismi, et Rationalismi documenta, captiosa Jansenismi doctrina, et vaferrima Protestantismi figmenta sunt arma potissima, quibus perditissimi homines, abominabiles facti in studiis suis, omne robur, omnemque Catholicae Fidei firmitatem quatere, et ubicumque gentium labefactare conantur. Sed sibi caveant Christi fideles ab his versutis impiorum nequitiis; ac meminerint, Catholicam Fidem, quam a Prophetis praecognitam, vaticiniis celebratam, tot comprobatam miraculis, tot Martyrum firmatam auctamque sanguine, tot firmissimis fultam auctoritatibus, et doctrinis, per bella, per hostes, perfractis omnibus,

---

(1) ad Cor. 1. c. 2. v. 7.
(2) ad Hebr. 11. 6.
(3) Hebr. 11. v. 33.
(4) Math. 25. 34.

quaecumque obstarent, impedimentis, ad nos usque integram, atque intaminatam pervenisse novimus, unam esse in naufragio stellam, unam esse post naufragium tabulam, unum esse portum salutis; cum sine ipsa impossibile sit (1) placere Deo.

4. Cum autem tam dignum, tam necessarium, tam confirmatum fidei donum Episcopis Deus ita custodiendum dederit, ut ex eorum praesertim manibus illius depositum exquisiturus graviter sit; hinc ipso in principio hujus Synodi, ut Grex noster divinum hoc munus integrum semper, inviolatumque servet, ac ne quid detrimenti capiat in fide, nonnulla in medium afferenda ducimus.

5. Cum per fidem habeamus accessum in gratiam (2) istam, in qua stamus; et justus ex fide (3) vivat; omnes et singuli nobis concrediti fideles eam ita adament, incorruptamque ita custodiant, ut omnia, quae Sancta Mater Ecclesia Catholica, columen ac firmamentum veritatis, edocet, dogmata retineant, ex animo amplectantur, nec profiteri erubescant, et, praesertim qui de Clero sunt, tueantur, seque fidelibus exemplum praebeant in fide.

6. Cum Christus Ecclesiam suam, unam quidem et in unitate firmatam esse voluisset; hinc Ro-

---

(1) ad Hebr. 11. 6.
(2) ad Rom. 5. v. 1. 2.
(3) ad Rom. 12.

manam Petri Cathedram, veluti veritatis magistram, communionis vinculum, atque unitatis centrum, cum primatu tum honoris et dignitatis, tum auctoritatis et jurisdictionis super omnes, et singulas Ecclesias constituit. Unde fit, ut quisque fidelium Romanum Pontificem, tamquam Ecclesiae caput, habere; reverentia, obedientia, mentisque et animi subjectione, nobiscum prosequi; nec non ea, quae non solum ab oecumenicis conciliis, sed etiam a Romanis Pontificibus, tum ad evellendas haereses, tum ad dilapsam morum revocandam disciplinam sancita sunt, revereri atque amplecti teneatur. Pulchrum vero et decorum esse putamus, Clerum, gregemque nostrum toto animo, totaque mente, laetitiaque vel maxima, dogmaticam iterum nobiscum amplecti, ac profiteri definitionem, quam Summus Pontifex, re et nomine PIUS PAPA IX. de singulari Beatissimae Virginis Mariae a peccato originali immunitate, nobis praesentibus, inter omnium plausus protulit. Semper autem Deiparam ab origine immaculatam rogabimus, ut, si quid ad hujus privilegii gloriam contulimus, nostrum perpetuo tueatur ac sua sospitet ope gregem.

7. Episcopos etiam Apostolorum successores, quos Spiritus Sanctus posuit regere (1) Ecclesiam Dei; qui non modo Laicos omnes, sed Clericos

---

(1) Act. Ap. 20. 28.

quoque (1) et ordine et jurisdictione supereminent; qui in Ecclesia sibi concredita, cum auctoritate polleant eam docendi et gubernandi, tum etiam leges jubere et poenas decernere ex jure possunt; omni veneratione prosequendos, audiendosque monuit Christus his verbis: *qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*

8. Doceant Parochi, quae de necessitate medii, et quae de necessitate praecepti explicite credenda (2) et ediscenda sint. Non enim datur aeterna salus, nisi firma fide teneantur ea, quae sunt de necessitate medii. Unde quisque fidelium dilucida explicitaque fide credat, necesse est, Mysterium Sanctissimae atque Individuae Trinitatis, Mysterium Incarnationis, Passionis, Mortis, et Resurrectionis Jesu Christi Domini Nostri; Deum justum bonis esse praemia, malis autem decreturum supplicia. Qui horum laborat Mysteriorum ignorantia, in Sacramento Poenitentiae absolvi (3) nequit.

9. De necessitate vero (4) praecepti quisque fidelium saltem quoad substantiam, nisi adsit ignorantia (5) invincibilis, aut impotentia, explicite credere et scire sub mortali tenetur. 1°. Catholi-

---

(1) Bulla — Auctorem fidei.

(2) Bened. XIV. const. edita 2. Feb. 1742. Etsi minime.

(3) Bened. XIV. in const. Etsi minime.

(4) Can. Vos ante de consec. dist. 41. — S. Augu. de Symb. ad Cath.

(5) S. Alphon. de Ligor. in tract. de Poenit.

cae Fidei symbolum. 2°. Orationem Dominicam. 3°. Praecepta Decalogi, et Ecclesiae. 4°. Sacramenta maxime necessaria, Baptismum, Poenitentiam, Eucharistiam; Sacramenta autem reliqua, tum cum quis ea suscipiat. Qui in harum rerum ignoratione versatur, tunc absolvendus est, cum eas didicerit; si vero pollicetur ex animo, se omni diligentia facturum, ut eas quam citissime addiscat, absolvi quandoque (1) potest.

10. Si ore confessio fit (2) ad salutem, et si ex fide enascitur charitas, ex charitate spes, et rursus in se sancto quodam circuitu (3) refunduntur; omnes et singuli fideles actus fidei, spei, et charitatis, tum ad Deum eo, quo decet, cultu, et amore prosequendum, tum ad aeternam salutem assequendam elicere tenentur vel saepissime, et praesertim cum quis in summo vitae versetur discrimine, et Diaboli tentationum fluctibus urgeatur. Ut autem in omni Dioecesi nostra sit in his actibus eliciendis una eademque ratio, eorum formulas, et simul actum contritionis in hujus appendice Synodi tradere (4) censuimus.

11. Concilii praeterea Romani vestigia (5) prementes; praecipimus sub poena suspensionis a divinis post ternam sine rationabili causa praeter-

---

(1) Bened. XIV. Const. cit. Etsi minime.
(2) ad Rom. 10. v. 10.
(3) S. Aug. in Luc. lib. 8. cap. 30.
(4) Vide appendicem n.
(5) Concil. Rom. 1725. Tit. 1. cap. V.

missionem infra annum habitam, incurrenda, ut ad rusticos praesertim fidei rudimentis imbuendos, omnibus diebus festis in singulis, seu parochialibus, seu ruralibus Ecclesiis Sacerdos primo mane celebrans, populo singula verba non festine referente, post primum Missae Evangelium recitet 1°. Signum S. Crucis. 2°. Mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis. 3°. Symbolum Apostolicum. 4°. Orationem Dominicam, et salutationem Angelicam. 5°. Praecepta Decalogi. 6°. Praecepta Ecclesiae. 7°. Septem Sacramenta. 8°. Actus Fidei, Spei, Charitatis et Contritionis.

12. Quisque fidelium, cum naturale urgeat praeceptum, a fide exterius profitenda se solutum non arbitretur; praesertim si per confessionis hujus praetermissionem, ut ait Doctor (1) Angelicus — subtraheretur honor debitus Deo, ac etiam utilitas proximo impendenda. — Nonnulli praeterea ex praecepto ecclesiastico juxta formulam Pii IV. fidem, stato tempore, exterius profiteri obstringuntur: (2) qui sunt.

I. Dignitates et Canonicatus obtinentes.

II. Beneficium cum animarum cura assequentes.

III. Quicumque alia beneficia, sive simplicia, sive quae personalem requirunt residentiam, obtinuit.

---

(1) S. Thom. 2. 2. quaest. 3. art. 2.

(2) Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de Refor. — Conc. Rom. 1725. tit. 1. cap. 1.

IV. Novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Procuratores, Promotores Fisci Episcopalis, Cancellarii, caeterique ejusdem Curiae ministri.

V. Qui concionandi munus in Ecclesia nostra primo suscipiunt, quamvis regulares sint.

VI. Novi confessarii, etiam Monialium.

VII. Magistri (1) omnes, publice vel privatim docentes scientias et disciplinas quascumque, etiam inferiores; qui fidei professionem emittere tenentur quolibet ineunte anno scholastico (2).

VIII. Medicinam (3) artemque Chirurgicam in Dioecesi nostra exercentes.

13. Quod vero ad Medicos attinet, hic nonnihil superaddendum putamus. Medici enim praeter fidei professionem, antequam munus suum exerceant, emittendam, spondere juramento tenentur, constitutionem S. Pii V. (4) numquam sibi esse violandam; quae jubet, ut Medici post tertiam visitationem aegrotum deserant, qui, ab ipsis monitus, Sacramento Poenitentiae salutarem peragere animae expiationem recusaverit. Quod idem a Concilio Romano (5), poenâ excomunicationis propositâ in Medicos, Episcopo reservatae, sancitum est. Verum sciant Medici, se hac non obstringi obligatione, nisi in morbis iis, qui aut mortis pe-

(1) *Vide in append. formulas Juramen.*
(2) *Leo XII. in Bulla — Quod Divina sapientia.*
(3) *Conc. Rom. cit. 1725. tit. 1. cap. 1.*
(4) *S. Pii V. Const. Super gregem.*
(5) *Concil. Rom. cit. tit. 34. cap. 1.*

riculum minantur, aut facile periculosi fiunt. Nos insuper operae pretium ducimus, unanimem Canonistarum, Theologorum, et Benedicti XIV. sententiam in medium afferre, qui docent, si aegrotus in mortis periculo post tertiam visitationem versetur; et ita a peragenda reluctetur confessione, ut obstinatus evadat; hujusmodi infirmum, pene quidem moriturum sine Medici auxilio, non esse a Medico deserendum, sed juvandum vel maxime, ut convalescens in bonam frugem redire possit (1).

14. Ut autem illuc, unde divertimus, redeamus; Dignitates et Canonici non solum coram capitulo, sed etiam coram Nobis aut Vicario Generali, per seipsos et non (2) per procuratores infra duos menses ab inita possessione, fidem noverint sibi (3) profitendam. Quod si praetermiserint, juxta Concilium Tridentinum (4) non facient fructus suos. Omnes etiam, qui beneficia quaecumque obtinent, infra ejusdem temporis spatium, et sub eadem poena, coram nobis aut Vicario Generali fidem suam profiteri tenentur. Caeteri vero, quorum recensio est N. 12. IV. caveant, ne suum munus obeundum suscipiant, antequam huic praecepto obtemperaverint. Quos, si renuentes,

---

(1) Bened. XIV. Inst. 22. N. 17.

(2) Capuana. Professionis Fidei 6. Decemb. 1738. — Bened. XIV. const. 60.

(3) S. C. Concilii in Catacen. 25. Januarii 1726.

(4) Concil. Trid. sess. 24. cap. 12.

aut desides hac super re fuerint, non solum ab officio removeri, sed aliis quoque plecti poenis decernimus.

15. In nostra autem Cancellaria habeatur codex, in quo nomina et cognomina eorum, qui fidei professionem coram Nobis aut Vicario Generali ediderint, non sine diei, mensis, et anni annotatione inscribantur. In Archivio etiam Capitulari alter sit codex ad inscribendos Canonicos, qui coram Capitulo fidem professi sunt.

16. Cum vero in tanta hujus temporis iniquitate tam ingens habeatur impiorum colluvies, qui in agro Domini (1) superseminent zizania; et cum tot vagentur vulpes, quae Christi vineam demoliuntur; ideo populi nobis concrediti perspectam habeant legem, quae jubet, ut sub poena excommunicationis latae sententiae, publice dogmatizantes nobis infra mensem denuntientur; eosque hortamur, ut tamquam a facie colubri fugiant impiorum coetus; nec dolosis eorum doctrinis sese unquam irretiri patiantur. Impii enim perditique homines, Catholicam Fidem nunc esse humanae rationi adversantem, nunc a ratione dissidentem, nunc eidem rationi subjiciendam undique blaterare non desinunt. Sed audiatur ipse fidei Magister, Pius Papa IX. (2), qui docet — Etsi fides sit supra rationem, nullam tamen veram

---

(1) Math. 13. v. 26.
(2) lit. Ency. D. N. Pii IX. 9. Novemb. 1846. §. Neminem.

dissensionem, nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam posse; cum ambae ab uno, eodemque Deo, Optimo, Maximo oriantur; atque ita sibi opem ferant.

17. Omnes denique ea, qua possumus, auctoritate et Charitate monemus, ut Catholicam fidem, quam lingua loquuntur, moribus etiam fateantur; atque ut quam saepissime illud S. Jacobi secum ipsi recogitent. Quid prodest, si fidem quis dicat, se habere, opera autem non habeat? Numquid fides potest salvare eum? Fides, si non habeat opera, mortua est in (1) semetipsa.

CAPUT II.

DE CATHOLICA RELIGIONE ALENDA ET PROPAGANDA

—

1. Si unquam alias Christifideles, pulchra inter se inita societate, catholicam alere Religionem, et propagare studioso curaverint animo; nunc certe, cum impietas longe lateque debacchetur, circum undique quaerens, quos devoret, ad tantum opus tam sanctum, tam Deo gratum sese omnes ipsi, veluti agmine facto, erigere, ac omnia christianae charitatis molimina, omnesque de-

(1) *S. Jacobi 2. 14. et seq.*

bent conferre cogitationes. Possunt enim vix numerari, quot his temporibus homines aut circumferantur (1) omni vento doctrinae, aut mente mala, aut quadam veri specie decepti, deficiant a fide. At Religio majorem jampridem expectat piorum fidelium copiam, eorum maxime, qui tot miseros in fide labantes sana in doctrina confirment; qui tot devios ad viam veritatis reducant, qui tot vitiis diffluentes, ac male moratos ad honestae vitae rationem, ac virtutem revocent: praesertim cum unicuique mandaverit Deus de proximo suo. Nam recupera, dicit Dominus, Proximum secundum virtutem tuam.

2. Utinam haec Sancti Spiritus verba continuo omnium insonarent auribus; ut, qua factis, et dictis, qua consilio atque opere de proximi quisque sui salute contenderet. Hinc enim pulcherrime exoritur una animorum conjunctio; hinc una voluntatum consensio; hinc mutuae Charitatis societas, qua Christi Religio plurimum gaudet.

3. Quae quidem Religio insidet, et prorsus innititur sanctorum Dogmatum fide et doctrina. Nisi ergo hujus fidei, et doctrinae lux mentibus hominum effulgeat; aut in animis extincta, iterum accensa splendeat; frustra morum sanctitas, frustra cultus divini puritas, frustra tot desertorum reditus ad veram fidem, frustra etiam praeclara

---

(1) ad Ephes. cap. 4.

facta requirentur. Itaque nemo unus est, qui non intelligat, nihil majus, nihilque melius effici a fidelibus posse, quam si assiduam Catholicae Religionis propagationi operam navent.

4. Illud etiam prae oculis habendum est, plurimas adhuc nationes sedere in tenebris (1), et in umbra mortis. Innumerabilia enim Catholicae Religioni obstitere impedimenta ita, ut, cum omnes iret amplexura populos, aut rejecta, parum vel nihil evangelicae lucis effuderit; aut nonnullis post saeculis pulsa, plurium regnorum jacturam fecerit: adhuc etiam eorum lamentatur discidii pertinaciam. Manet tamen, semperque manebit in Catholica Ecclesia numquam interiturus Apostolatus, et Christi missio, quae illis Domini innititur verbis: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni Creaturae* (2): quod quidem testantur centeni, millenique evangelici operarii, qui in hujusmodi messe inter infideles, idolorumque cultores in dissitis etiam terrarum Orbis regionibus adlaborant.

5. Quare hoc omnium Charitatis atque industriae sit, ut ad apostolicos operarios, tum orationibus, tum eleemosynis juvandos quisquis accedat; ita ut auxilium opemque suam in sancta Societate jungere videatur. Eam quidem, quam tot summi Pontifices probavere Decretis, praeclarissi-

(1) *Cantic. Zachariae v. 12.*
(2) *Luca 16. v. 15.*

mam societatem, ab opere fidei propagandae nuncupatam, nemini ignotam esse intelligo. Ex hac profecto Ecclesia Catholica, ut ab annalibus patet, laetissimos quoque fructus cepit ac locupletissimos.

6. Cum hujusmodi opus tam eximium, ac sanctum sit; volumus, ut animarum curatores, tum die sacro Epiphaniae, quo Jesus gentibus primum apparuit, tum sacro Pentecostes Die, quo Spiritus sanctus replevit orbem terrarum, in missa Parochiali populum doceant de hoc tam excellenti opere; omnesque ad suum huic Societati nomen dandum excitent, atque inflamment. In id etiam vel maxime incumbant Parochi, ut plurimae constituantur Decuriae, collectaeque stato tempore eleemosynae ad Praesidem in hanc Urbem perferantur. Quoniam vero omnes suum his decuriis nomen inscribere non poterunt; praecipimus, ut Parochi mense augusto sedulos constituant collectores, qui in Paraecia eleemosynas ostiatim quaerant, ad eumdem Praesidem statim mittendas.

7. Nec insuper negligenda, sed magis in dies amplificanda est illa, huic operi suppar, Religionis et Charitatis institutio, quae nuper in Galliis orta, veluti sinapis granum, a minimo semine magnum crevit in Arborem. Hujusmodi opus id tantummodo sibi postulat, ut vel plurimos infidelium pueros animae donet salute sacramento regenerationis per aquam in verbo, si apud parentes in extremo mortis discrimine versentur; vel eos ad vitam vindicet utramque, si pueri fuerint, heu

nefas! feris et canibus objecti, vel in viis, vel plateis expositi, vel in cloacas projecti, vel venumdati. Sic enim empti, vel servati, sacris primum Baptismatis abluti aquis ad catholicam religionem bonosque mores, atque ad artes instituuntur. Cum pro tanto perficiendo Religionis bono magnae postulentur impensae, tum Christiana excitanda est charitas. Pueri praesertim edocendi, atque hortandi sunt, ut suum huic sanctae Societati nomen inscribant, rati, se facile posse, etsi pauperes sunt, exiguam, quae requiritur, unius obuli solvere quoquo mense eleemosynam.

8. Atque ne illud contingat, ut, dum externa curantur, negligantur interna; Parochis omni cura, sollicitudine, studio fovendum est illud multiplex Charitatis exercitium, quod nuncupatur — Societas S. Vincentii a Paulo, quae in Civitate nostra quatuor ab hinc annis floret, et centrali Societati romanae et Parisinae canonice est conjuncta. Ex libro, qui hujus Societatis Manuales inscribitur, non solum regulae, sed etiam normae cuicumque necessitati accomodatae hauriuntur.

9. Verum hoc prae ceteris existimandum est, hujusmodi Societatis opus eo praesertim spectare, ut Catholicae charitatis exercitium acuatur, et niteat. Hoc vero primum ea est natura, ut in ipsos redundet exercentes. Qui autem illud in solo eleemosynarum quaestu, pecuniaeque subsidiis situm esse putant, ii vehementer errant. Eo enim nobilior est spiritualis eleemosyna, quo nobilius est a-

nimis, quam corporibus, subsidia praebere. Quin etiam illud, veluti medium, quo tantummodo quibusdam in casibus utamur, existimandum putamus.

10. At praecipuum hujus institutionis bonum eo quidem tendit, ut pueri et rudes satis apto Christianae doctrinae alimento nutriantur, puellarum pudori, viduarumque castitati Christiana consulatur ratione, componantur quaestiones, domesticae eliminentur querelae ac discordiae, perimantur inimicitiae, parentum sollicitudini, filiorumque faveatur subjectioni, et ne quisquam animo et corpore torpeat in otio.

11. Haec igitur societas Parochis cordi sit; eamque, quo poterunt, studio alere, atque augere satagant. In Praesidibus autem, ceterisque pro quolibet munere officialibus stato tempore renovandis, aut confirmandis, sint ipsi quam maxime solliciti.

Neque Societas haec Pauliana confundenda est cum Charitatis instituto, quod ab illustri Decessore nostro Felice Cantimori, nunc Parmensium Antistite, fundatum, Nos ad omnes regiones extendimus, dum sacrae Visitationi operam dedimus. Hoc enim aegrotos et pauperes tantum respicit ad eorum levamen, custodiam, et subsidium dum infirmantur. Cernere est ubique, exerceri hoc opus multo cum foenore tum animarum, tum corporum: siquidem dum corporibus medemur, animis potissimum consulimus.

12. Meminerint Sacerdotes, si laicus omni,

qua possit, ratione curare debet, ut Catholica fides alatur, et amplificetur; eo magis in id incumbendum esse sibi, ut regnum Dei inter omnes nationes, omnesque populos dilatetur. Quemque certe sacerdotem zelus domus Dei comedat, necesse est, si suae consulere aeternae velit saluti: nullis parcat laboribus; nec tempus, nec morbos, nec aetatem excuset: quoad poterit ipse, zelet fidem. Oportet enim sacerdotem laborantem mori.

CAPUT III.

DE HAERETICIS ET LIBRIS PROHIBITIS

---

1. Cum catholica Fides, de qua diximus, circumundique sit cincta periculis, ac tot impiorum hominum attentata insidiis, et petita conatibus, qui partim palam duroque ore, partim latenter doloque malo prava loquuntur, impia edocent, ac doctrinas, scripta, librosque impietate haeresique scatentes per totam Italiam universamque Europam disseminare student; hinc nos ad fideles nobis creditos in fide tutandos, atque ad eos de seductionis periculo, et de obligationibus, quibus ipsi hac in re tam gravi tenentur, monendos, haec de Haereticis ac vetitis libris decernenda duximus.

2. Videant Parochi, ne quid familiaritatis fide-

libus sit cum Haereticis, hortante Paulo (1) *Haereticum hominem devita, quia subversus est*: Cogente solum necessitate vel charitate aliquid agere cum Haereticis licet. At quodcumque in rebus ab Ecclesia vetitis ministerium Haereticis praebere interdicitur.

3. Operae pretium ducimus ad tum Haereticos, tum de Haeresi suspectos dignoscendos praecipuas in medium afferre regulas atque indicia: quibus ut haereticus designatur. 1. Si quis, novitatis amore incensus, nova de catholica fide praedicet, typis mandet, juvenes edoceat, in populum Christianum disseminet. 2. Si quis de fide, ac de doctrina catholica, quidquid in os venit, liberius pronuntiat, et quod temere definivit, id superbius tuetur, pertinax auget; et quod errori junxit, id etiam pertinacius tenet. 3. Si quis, de haeretica assertione monitus benevole, ita fiat impatiens, ut tristi turgescat ira, monitorem conviciis verberet, maledictis impetat, nec se doceri ullo pacto patiatur (2).

4. Habendus autem est, ut de haeresi suspectus. 1. Si quis Confessarius ad turpia sollicitet, aut sigillum frangat, tenens illud non ita rigorose obligare. 2. Si quis sacerdos pluries in die, vel non jejunus celebret. 3. Si quis voto solemni obstrictus matrimonium ineat. 4. Si quis simultaneae

---

(1) ad Tim. c. 3. v. 10.

(2) Vide Pet. Scavini. Theol. de Haereticis dignoscendis.

polygamiae reus inveniatur. 5. Si quis laicus Missam celebret, vel confessiones audiat. 6. Si quis haeretice blasphemet. 7. Si quis haereticorum denuntiationem dissuadeat. 8. Si quis, cum teneatur ex officio, haereticos denuntiare negligat. 9. Si quis clandestinis sectis nomen dederit. 10. Si quis superstitiosus sit, cum conscientia peccati. 11. Si quis de rebus divinis, et de sacra scriptura, male illius sensum pervertens, loquatur.

5. Ad omnes Haereticos (1) et de haeresi suspectos (2) denuntiandos praeceptum urget. Hoc autem denuntiationis onere obstringuntur singuli Christi fideles cujuscumque ordinis vel conditionis sint, etiam tum, cum crimen secreto acceperint, aut illud probare nequeant, aut de reo non denuntiando juramentum emiserint. Confessarii vero absolutionem denegent, moneantque de excomunicatione latae sententiae (3) et reservatae (quamvis post factam denuntiationem reservatio cesset) si poenitentes infra mensem denuntiationis praecepto obtemperare neglexerint. Ut autem quisque de re tanti ponderis plenam habeat notionem; Parochi Dominica prima Adventus, et Quadragesimae edictum S. Inquisitionis in appendice traditum, inter Missarum solemnia, post primum Evangelium quotannis perlegant, omnique explicent diligentia. (4)

---

(1) *Const. Nicolai III. an. 1580.*
(2) *Vide Ferraris Bibliotheca: v. Haeresis.*
(3) *Decr. S. R. In quis 3. Jan. 1628. et 10. Mart. 1677.*
(4) *Vide Append. N.*

6. Sciant insuper Christi fideles, summos Pontifices (1) semper, et postremo SS. D. Pium IX. (2) illas anathemate damnasse clandestinas societates, quae sectae vocantur, in quibus homines impii, nefaria inter se societate conjuncti, contra catholicam rem universam bellum conflare conantur — Sunt hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices, qui omne pietatis, justitiae, honestatis studium in omnium animis estinguere, mores corrumpere, jura quaeque divina et humana perturbare, catholicam Religionem, civilemque societatem convellere, labefactare, imo, si unquam fieri posset, funditus evertere commoliuntur — Hinc summi Pontifices non solum ferire consueverunt anathemate; sed etiam sub poena excommunicationis latae sententiae reservatae, denuntiandos (3) esse jusserunt eos omnes — Qui quovis praetextu, aut quaesito colore, audeant, vel praesumant, societates has inire; vel propagare, ac in suis aedibus, vel domibus, vel alibi receptare, ac occultare; illis, et cuique earum gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, vel commoditatem facere, ut alibi convocentur; eisdem aliqua administrare; seu a-

---

(1) *Clem. XII. cost.* in eminenti — *Bened. XIV. cost.* Providas — *Pius VII. cost.* Ecclesiam a Jesu Christi — *Leo XII. cost.* quo graviora — *Greg. XVI. in Lit. Ency.* Inter praecipuas machinationes.

(2) *SS. D. N. Pius IX. Lit. Ency. 9. Novem. 1846.* §. Jam vero.

(3) *Pius VII. cost. cit.* §. praecipimus.

lias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe vel indirecte per se, vel per alios quoquo modo praestare; nec non alios hortari, inducere, provocare, ut his societatibus, aut cuicumque earum gradui adscribantur, adnumerentur, aut intersint; vel ipsos quomodolibet juvent, ac foveant: sed omnino ab iisdem societatibus, eorumque coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debent. (1)

7. Omnibus praeterea satis superque compertum est, luctuosaque docemur experientia, nihil ad errores ubique disseminandos, et ad fidem populis auferendam accommodatius ac validius inveniri posse, quam impiae pravaeque lectionis libros. Hinc fit, ut per impios irreligionis sectatores tot undique volantium, et peccare docentium voluminum, ac libellorum scatet colluvies, qui apte compositi, et artificii pleni, per omnia loca in Christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima Religioni inferunt detrimenta. (2)

8. Ut autem quisque videat, quam late pateat impiorum malitia; praetereunda non est vaferrima illa societas, quae biblica vocatur; cujus studium omne eo spectat, ut singuli sacrae Scripturae li-

(1) *Pius VII. cost. cit.* §. Quo circa.
(2) *SS. D. N. Pius IX. Lit. Ency. cit.* §. Jam vero.

bri, tum textus corruptione, atque interpretatione in pravos detorta sensus, tum in cujusque nationis vernaculam linguam redditi, circumundique pervagentur nullo, vel tenui requisito pretio. Sciant omnes, eam esse hujusmodi societatis mentem, ut divina traditione, Patrumque doctrina posthabita; atque catholicae Ecclesiae autoritate, Petrique cathedrae infallibilitate rejecta ac spreta, privato sacras scripturas suo quisque interpretetur judicio; et sic lata ad errores sternatur via. Quare omnes a societate biblica editae versiones a summis Pontificibus damnatae sunt, quarum lectio interdicta est.

9. Cum Congregationis Indicis regulae admoneant, e sacris scripturis, quae vulgari lingua eduntur, ut experimento manifestum est, plus detrimenti, quam utilitatis oriri ob hominum temeritatem; (1) tum praecipimus, ut non aliae, nisi illae legantur sacrarum scripturarum versiones, quae, ab apostolica sede approbatae, cum adnotationibus ex SS. Patribus, aut ex doctis catholicisque viris, editae fuerint. (2)

10. Quoad libros Haereticorum, qui vel haeresim continent, vel contra Religionem ex professo pertractant; sciendum est, illos interdici in Bulla Caenae sub poena excommunicationis latae

---

(1) Ex Reg. Indicis §. 1. N. 3. et reg. 4.
(2) In addit. ad reg. IV. Indicis, ex decreto cong. Indicis 17. Junii 1757.

sententiae, summo Pontifici reservatae, sub qua poena interdicti sunt etiam libri ab Haeresiarchis conscripti, et id in odium auctorum. Pius vero IV. in constitutione *Dominici gregis* sub poena excommunicationis latae sententiae, non reservatae, libros prohibuit cujusvis auctoris vel ob haeresim (1), vel ob falsi dogmatis suspicionem; sub qua poena interdicuntur etiam omnes libri a quovis haeretico conscripti, qui caput sectae non sit. Libri denique omnes, qui continent malum vel in genere moris, vel in genere Religionis, vel in genere fidei, quamvis non prohibentur sub poenis; tamen interdicti sunt sub mortalis culpae reatu, et qui legunt, retinent, vendunt, se ab Episcopo acriter puniendos esse noverint. Poena autem Excommunicationis, de qua loquuti sumus, respicit non solum legentes, et retinentes, sed etiam introducentes, vendentes, typis edentes, et alios id furfuris.

11. Libri omnes, quorum lectione periclitetur vel de fide, vel de moribus cujusvis integritas, quamvis inter prohibitos non recensentur in codice, tamen ex jure divino, et naturali interdicuntur, quos rectores animarum et confessarii e medio tollere conentur.

12. In nostra Dioecesi nemo libros quoscumque, opuscula, et commentarios venundare, comportare, circumferre, aut imprimere, ac in vul-

---

(1) Vide Scavini Theol. Mor. de prohib. lib.

gus edere audeat sub poena pro ratione culpae irroganda, nisi prius a Vicario nostro generali, et in Dioecesi a Vicariis Foraneis detur in scriptis venia.

13. Hortamur demum Parochos, confessarios, juventutis institutores, sacros concionatores, ut contra tot accerrimos Fidei hostes cum omni clero, bonisque omnibus in retundenda eorum tela consurgant; atque ad seductionis, et pravitatis elementa, e Dioecesi nostra eliminanda, ad haereticam impiorum librorum colluviem e medio tollendam, ad prodendas novatorum latebras, ipsumque in eis Diabolum debellandum (1), omnem curam, omneque conferant studium. Populum de paratis sibi insidiis moneant, et memorent, quid de hac re Apostolus Joannes doceat: —Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et filium habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. (2)

---

(1) S. Leo Magnus ser. 9. cap. 4.
(2) Joan. 2. v. 9. 10. 11.

CAPUT IV.

DE SUPERSTITIONE

—

1. Eos, qui adorant Deum (1), in veritate oportet adorare, illique (2) soli servire. Hinc nihil sane iniquius et scelestius esse umquam potest, quam ut ii, qui Christum fatentur esse Deum, et quibus fecit Dominus nota mysteria sua, notam justitiam, caelestemque doctrinam, aut Deum falso inanique prosequantur cultu, aut creaturis, ipsique Daemoni divinos deferant honores, et hunc mendacem ac tam infestum hominibus hostem de occultis futurisque consulant; cum unius Dei sit, noscere (3) abscondita cordis, et annuntiare, quae ventura (4) sunt in futurum. Sed vae homini superstitioso: qui enim observat somnia (5) atque auguria, qui Pythones ac Divinas consulunt, qui quaerunt a mortuis veritatem, abominabitur Dominus, eosque se deleturum propter istiusmodi facinora profitetur.

2. Hinc omne superstitionis genus, quae magna

---

(1) *Joan. 4. 24.*
(2) *Math. 4. 10.*
(3) *Psal. 43. v. 22.*
(4) *Isaiae 41. v. 23.*
(5) *Deuter. 18. v. 10. 11. 12.*

hominum ac periculosa (1) turpitudo, et honor ac triumphus Daemonum est, perpetuo exsecrata fuit, diris devovit, poenisque gravissimis affecit Ecclesia. Cum autem nobis in id potissimum incumbendum sit, ut irrita reddamus, quae malignatur inimicus (2) in sancto; gregemque nostrum ab omni superstitionis peste prohibeamus; ea, quae sequuntur, in medium afferre censemus.

3. Daemones, qui Divinitatem aemulare, et Altissimo similes fieri (3) conantur, superstitiosis praestigiis ac magicis artibus per deceptos homines quotidie alios decipere gestiunt, ut perditionis suae (4) faciant eos esse participes. Daemonum igitur sunt ministri, fidemque abnegant, qui Creatorem suum relinquentes, inita cum Daemone vel tacita, vel aperta societate, obsequium, divinumque Diabolo deferunt honorem, ut possint illius molimine et ministerio uti in cupiditatibus suis.

4. Hinc sacri Canones (5) hujusmodi maleficos homines, qui sacramentis quoque rebusque sacris abutuntur, a communione fidelium rejiciunt, eademque plectunt poena, tum qui operam ipsis,

---

(1) S. August. de vera Religione.
(2) Psalm. 73. v. 3.
(3) Isaiae 14. v. 14.
(4) Can. qui fine 26. q. 2.
(5) Dec. 2. pars laus. 26. q. 5. cap. 1. si quis ariolos — Can. Non oportet — Can. Sortes — Can. Contra — Can. Auguriis — Can. Episcopi.

consilium assensumque praestant (1), scienterque legunt; retinent, imprimunt, atque venundant libros, qui de Astrologia (2) judiciaria, ac de magicis artibus (3) tractant; tum qui infra mensem eos nobis, aut sancti officii inquisitori non denuntiant. (4)

5. Parochos hortamur in Domino, ut in tanto animarum discrimine non sese gerant, ut mercenarii, qui lupum vident venientem, et rapiendas relinquunt oves. Nullo quidem modo patiantur ipsi, maleficos in suis paroeciis homines consistere, eosque ad nos deferant. Populos praeterea moneant, ut praestigiatores, divinos, sortilegos, maleficosque abhorreant, et in morbis, in adversis, in rerum inopia atque egestate, valitudinem opemque a Deo expostulent, qui vitae et necis arbiter est, suamque in eo spem ponant; et ipse non longe faciet miserationes suas ab eis. (5)

6. Si quis Energumenus exorcizandus sit, res ad nos deferatur; nec quisquam sacerdos seu saecularis, seu regularis, aut publice, aut privatim, sine nostra auctoritate illum exorcizare audeat.

---

(1) Joan. XXII. Extravag. super illius — Nicolaus I. ad consult. a Bulgaria art. 79. — Inn. VIII. in Const. summus.

(2) Sixtus V. Const. Coeli et terrae.

(3) Reg. 9.

(4) Leo X. Const. 46. Honestis — Gregorius XV. Const. 86. Omnipotentis — Joannes XXII. Const. cit.

(5) Psalm. 39. v. 12.

Quae vero a rituali romano in Exorcismis praescripta sunt, omnia serventur vel diligentissime.

7. Nunc hujus temporis malitia nos vocat ad aliquid de Magnetismo animali seu Mesmerismo dicendum; de quo autem tantum attingemus, quantum ad confessariorum institutionem, atque ad nostri gregis salutem pertinere videatur. Nos igitur juxta normam Encyclicae supremae sacrae Inquisitiones (1) reprobamus tamquam illicita illa magnetismi experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur.

8. Cum autem Neoretici magnetismo uti etiam soleant ad somnambulismum, aut ad claram, ut ajunt, intuitionem excitandam, ita ut ejusdem praestigiis — se invisibilia (2) quaeque conspicere effutiant; ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumant — hujusmodi magnetismi usum interdicimus. In hisce enim omnibus, quacumque utantur arte, vel illusione, — cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum. —

9. Ad hujusmodi magnetismi abusus evellendos,

---

(1) Encyclica data 4. Augusti 1856. Vide App. N.
(2) Verba ejusdem Encyl.

omnes, qui nefas tantum et tam Religioni civilique societati perniciosum perpetraverint, poenis pro gravitate culpae multentur; atque nobis vel sancti Officii inquisitori denunientur.

10. Sed quid de Americano spiritualismo? Cum americani spiritualismi exercitatio maximum illicitudinis habeat periculum; nec sit a superstitionis suspicione immunis; Vicarii foranei, et Parochi, si quis hujusmodi artem injuriosam Deo (1), hominibusque perniciosam exercere audeat, eum statim ad nos deferre non omittant.

CAPUT V.

DE BLASPHEMIA ET DE PERJURIO

—

1. Inter foedessima, quae Relligioni opposita sunt, vitia, nihil est horribilius Blasphemia, quae ponit in excelsum (2) os suum. Hoc quidem scelus in lege veteri luebatur morte: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte (3) moriatur. Hoc enim scelus tantum est, ut omnis impietatis, atque iniquitatis culmen attingere (4) videatur;

---

(1) Vide P. Scavini Theolog. Mor. T. 2. in annotatione sub Litt. O. Edictio sexta Novariae 1853.

(2) Is. c. 18.

(3) Levit. 24. v. 12. 16.

(4) Ugo in Isaiam c. 18.

dum blasphemus non modo, ut qui peccat, legem violat, sed ipsi Deo injuriam irrogat. Contumeliosa enim locutione Blasphemus, aut quod Deus non est, affirmat, aut quod Deus est, denegat; aut in sanctum atque terribile Dei nomen, atque in Coelides injuriosis verbis, ac diris irruit maledictis.

2. Hinc quidem dolendum est vel maxime, quod in tanta hujus temporis iniquitate eo usque devenerit improbitas, ut inter lusus etiam et commessationes, inter negotia et res levissimas impii nefariique homines consulto, pacatoque animo, conviciis, contumeliis, et maledictis in Deum, in Deiparam, atque in Sanctos dehiscant. Verum ut tantum scelus a nostris finibus prorsus eliminetur, nec majus accipiat incrementum, haec statuenda ducimus.

3. Doceant Parochi parentes, heros, opifices, caeterosque id genus, quam sedulo ac diligenter curare teneantur, ne filii, famuli, operarii, in blasphema convicia linguam solvant: moneant etiam eos de non effugienda ultione, quam Deus in patres-familias, atque heros, sumere consuescit; si filios, domesticos famulosque increpare, corrigere, punirique neglexerint.

4. Confessarios, omnesque Sacerdotes vehementer hortamur, ut nulli curarum ac sollicitudinum generi parcant, et nobiscum in vinea Domini diu noctuque adlaborent, ut hujusmodi sceleris etiam vestigia in nostra Dioecesi deleantur; maximusque in fidelium animis contra illud horror excitetur.

5. Non solum jus divinum, sed etiam jus civile blasphemos ultimo olim damnavit (1) supplicio. In quos etiam jus canonicum hoc canone animadvertit: *Si quis blasphemia contra Deum usus fuerit; si in ecclesiastico ordine est, deponatur; si laicus,* (2) *anathematizetur.* Summi vero Pontifices (3) ad fideles a tanto scelere deterrendos, plurimas, quibus poenae gravissimae statutae sunt, constitutiones ediderunt, quas in judicandis puniendisque blasphemis sequemur.

6. Ut ediscat populus, quid contra blasphemos, et quid erga blasphemiarum auditores huc usque sancitum sit, Parochi inter Missarum solemnia populo perlegant summarium Bullae S. Pii V. quae incipit *cum primum* quod, ut omnibus praesto sit in italicum sermonem ex latino redditum in appendice apponendum (4) curavimus.

7. Blasphemia haeretica cum excommunicatione latae sententiae reservata est in bulla Caenae. Absolutionem blasphemiae haereticalis, etiam semel prolatae, simplicis vero post tertiam vicem nobis reservamus.

8. Quoad blasphemias haereticas et haereticales noverint omnes, qui eas audierint, vel prolatas esse sciverint, se gravissima nobis, aut sa-

---

(1) *Authentic. Ut non luxuriantur. Novel. 77.*

(2) *Canon. XXII. q. 1.*

(3) *Leo X. Const.* supernae — *Jul. III.* In multis — *S. Pius V.* Cum primum.

(4) *Vide Append.*

crae Inquisitioni denuniandi infra mensem obligatione obstringi. Si quis vero hujusmodi blasphemos denuntiare neglexerit, aut noluerit, in excommunicationem latae sententiae incidit, a qua, nisi post denuntiationem, absolvi (1) nequit.

9. Quoad blasphemias etiam simplices non solum quisque correctionis fraternae obligatione (2) teneri sciat; sed jubemus, ut nobis denuntiet, si quem in plurimas cum scandalo hujusmodi blasphemias animo pacato erumpere audierit.

Confessariis autem, quibus a nobis facta sit hujusmodi blasphemos absolvendi facultas, praecipimus, ut eos de peccati gravitate moneant, et nisi post salutarem (3) poenam impositam, eos absolvere non audeant: eos vero, qui ad denuntiationem tenentur, nisi denuntiare quam primum polliceantur, a sacramentali absolutione rejiciant.

10. Curent Vicarii foranei, et Parochi, ut in singulis, si fieri poterit, Dioecesis nostrae oppidis, confraternitates SS. Sacramenti, aut alia sodalitia, acceptissimum Deo sibi sumant onus corrigendi eliminandique blasphemiae scelus, juxta normam (ut in (4) appendice) quam, a S. Carolo Borromaeo datam, Benedictus XIV. litteris apostolicis (5) probavit, plurimis quoque propositis indulgentiis,

---

(1) *Edict. S. Cong. S. Officii.*
(2) *Vide Petrum Scavini Theol. Mor. in Tract. de Blasphemia.*
(3) *S. Pius V. Const.* cum primum.
(4) *Vide Append. N.*
(5) *Bened. XIV. Const.* ad execrabile.

quas Parochi Dominica prima januarii et julii populo edicere tenentur.

11. Judices praeterea, optimates, aliosque rei publicae regendae praepositos, hortamur, ut nobiscum ad tantum facinus compescendum adlaborent. Noverint etiam, Leonem X. pro ulciscentibus hujusmodi scelus judicibus indulgentias, in conniventes autem judices poenas, quibus ex jure plectuntur blasphemi, sanciendas curasse.

12. Cum autem inter blasphemos, et inter perjurios, qui Deum ipsum in falsitatis vocant testimonium, parum profecto interesse videatur; tum quidquam de perjurio attingendum esse arbitramur. Primum Parochi populum doceant, quam grave et execrabile crimen sit perjurium, quod est jusjurandum veritate, discretionis judicio, et justitia destitutum. Moneant deinde, quae, et quanta sit juramenti religio; et quo tremore et metu divini nominis testimonium dicendum est. — Falsidicus enim testis, ait S. Augustinus, tribus personis est obnoxius, primum Deo, cujus praesentiam contemnit, deinde judici, quem mentiendo fallit, postremo innocenti, quem falso testimonio (1) laedit. Uterque item reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit; quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. —

13. Dolendum vehementer est, quod plurimi

---

(1) *S. August. relat. in* C. Falsidicus *de crimine falsi.*

praesertim ex rudibus soleant inveniri, qui perjurium licitum esse arbitrantur, vel mentiendo apud judicem legitime interrogantem, vel acendo, quod verum sit, nequid damni alter patiatur, aut ut meritam alter poenam effugiat. Doceant Parochi, quo et quanto crimine, qui hoc facit, laedat animam suam, cum sub specie pietatis in Deum, qui veritatis auctor est, delinquat, judicem fallat, labefactet justitiam. Parochi praeterea poenas, quae tum jure canonico, tum jure civili in perjuros statutae sunt, verbis edicent gravissimis. Confessariis etiam praecipimus, ut poenitentes, quos hujus sceleris labe inquinatos repererint, sine sacramentali absolutione dimittant, nisi prius, perjuri, quoquo modo poterunt, illata sarserint damna ac rependerint.

14. Sed quid de juramento? Ad hoc non solum id requiritur, ut res, quae juratur, sit vera, honesta et decora; sed etiam necesse est, ut gravis causa illud postulet: unde a crebris juramentis cavendum est; cum in Ecclesiastico scriptum sit — Jurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa . . . Vir multum jurans implebitur (1) iniquitate. At verba Jacobi Apostoli attendenda sunt vel maxime — Ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per Caelum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem

---

(1) Ecclesiastici c. 23. v. 9.

sermo vester, est, est: non, non: ut non sub judicio decidatis. (1)

CAPUT VI.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

—

1. Cum Verbi Dei praedicatio sit ignis (2) ardens tum ad vitia penitus eliminanda, tum ad omne virtutum genus excitandum; hinc illam jure optimo, veluti praecipuum sacerdotale munus, habendam esse putamus; praesertim si intento animo recogitemus, fidem omnino pendere ab auditu, auditum autem (3) fieri per Verbum Dei; nec secus fide imbui populos, nec eos in fide firmari quidem posse sine praedicante. Unde Deus, qui antiquitus ad ostendendum hominibus aeternae beatitudinis iter fuerat multifariam patribus in Prophetis locutus; filium suum pro se locuturum novissime misit; eumque, voce e Caelo delapsa, praecepit, ut omnes (4) audirent. Hoc quidem Verbum, quod extitit non solum initium atque incrementum, sed etiam vita et solatium Ecclesiae, numquam defuit; cum numquam defuerint, qui

---

(1) *Epist. Jacobi Apost. cap. 5. v. 12.*
(2) *Levitic. 6. 12.*
(3) *ad Roman. 10. 17.*
(4) *II. Petri 7. 17.*

illud populis nuntiarent. Hoc enim divinum Verbi Dei disseminandi ministerium ab apostolis in eos manavit, quos dedit Dominus Pastores et doctores, ut pascerent et docerent. Nam et ad fidem erant vocandi populi, et jam credentes in fide firmandi.

2. Nobis certe in primis a Christo commissa est coelestis seminis dispensatio; et nos huic muneri numquam defuimus tum in nostra Ecclesia Cathedrali, statis anni diebus; tum in Dioecesi, cûm sacram visitationem peregimus. Attamen ut, vel qui ad illud ex Officio tenentur, vel qui in hujus ministerii partem vocati, nobis adjutores adsciscuntur, omnem in id cogitationem, omnemque curam conferant; haec, quae sequuntur, edicenda duximus.

3. Omnes Parochi, aliique curam animarum habentes, quos Dominus in id etiam constituit, ut dent in lege (1) lucem Israel, ad Verbi Dei praedicationem vel saepissime incumbant; nec sese ab hoc vinculo unquam (2) solutos arbitrentur. Cum vero Deus non irrideatur; caveant ipsi, ne sibi blandiri velint; nec, commodis suis indulgentes, futiles causas pro sermonis omissione venentur. Non enim vetus consuetudo, nec exigua auditorum frequentia, nec aliae in aliis Ecclesiis habitae conciones, nec caeterae inanes causae, quas re-

---

(1) Ecclesiastici 34. 2. et seq.
(2) Innocen. XIII. Const. Apostolici Ministerii.

censere et e medio tollere (1) Innocentius XIII. et Benedictus XIII. (2) curarunt, Parochos a gravissimo Evangelii explanandi munere excusant.

4. Singulis igitur diebus Dominicis, aliisque solemnibus (3) festis, Parochi, aliique animarum curatores sermonem ad populum non omittant vel per se habendum, vel per alium Sacerdotem, facta tamen a nobis prius facultate, et juxta Apostoli monitum instent opportune, importune in omni (4) patientia et doctrina. Ita vero eorum sit elucubrata concio, ut non inanibus verbis obstrepat ad aures; sed perspicua simplicique dicendi ratione populos doceat — quae scire omnibus necessarium (5) est ad salutem, annunciandoque eis vitia, quae declinare; et virtutes quas sectari oportet, ut poenam aeternam evadere, et celestem gloriam consequi valeant — Vicarii Foranei nos faciant certiores, an Parochi hujusmodi officio fungantur, et quoties illud omiserint; ut hosce — canes multos, dormientes, (6) et amantes somnia — iis, quas tridentini Patres decrevere, (7) poenis

---

(1) Innocent. XIII. Constit. pro Regnis Hispaniae — Vid. Bened. XIII. Inst. 10. 3.

(2) Benedic. XIII. ibidem.

(3) Concil. Trid. sess. 5. de Refor. cap. 2. — Sess. 23. cap. 1. Et sess. 24. cap. 4. — Concil. Viennen. — In Clement. Dudum.

(4) ad Tim. 4. 2.

(5) Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Ref.

(6) Isai. 56. 10.

(7) Concil. Trid. sess. 5. de Refor. 2.

excitare possimus. Omnes praeterea vehementer hortamur, ut sermones quisque suos accurate cogitateque scribat.

5. Cappellanis vero, qui diebus Dominicis et aliis festis in ruralibus sacrum faciunt Ecclesiis, praecipimus sub poena suspensionis post tertiam sine rationabili causa praetermissionem incurrenda, ut post primum Missae Evangelium affluenti populo brevem recurrentis Evangelii explanationem in illo, quem praescribemus libro, perlegant.

6. Cum cautum lege sit, ut, dum Episcopus sermonem in templo habet, nemini ad populum verba facere liceat; monitos volumus etiam cujuscumque ordinis et gradus Regulares, eos quoque eadem (1) lege teneri; nec ea hora in propriis Ecclesiis sermocinari audeant.

7. Si populi Verbi Dei praedicatione saepe pascendi sint; praesertim vero Adventus et Quadragesimae temporibus frequentiore quidem sermone ad virtutes excitentur, atque in fide, Deique amore et timore firmentur oportet. Hinc, quibus vel ex legitimo privilegio, vel ex vetere consuetudine nominandi concionatorem jus est, videant, ut suffragia sua cadant in pium, doctum, aptumque Verbi Dei praeconem, qui sua non quaerat,

---

(1) Cap. super Cathedram de sepult. — Cap. inter cunctas de privileg. — Entrav. com. et in Clement. Dudum — S. C. C. in Bituntina 2. Maji 1629. — Concil. Mediol. IV. — Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 9. cap. 17. — S. C. C. 26. April. 1607. apud ipsum Benedic.

sed quae Jesu Christi. Nominationis testimonium ad nos deferatur mense Octobri pro adventu; duobus autem mensibus ante cinerum diem pro quadragesima. Si vero ultra praefinitum a nobis tempus communitatum comitia concionatorem nominare praetermittant, tunc ea tantum vice (1) ad nos eligendi jus spectat. Congrua etiam sint pro sacris concionatoribus emolumenta; quae, ubi minima sunt, Municipiorum comitia de hujusmodi emolumentis ea, qua par est, congruentia augendis, libellum ad nos infra sex menses a publicatione hujus Synodi deferre volumus.

8. Quivis Laicus, quamvis sit doctrinae (2) laude praestantissimus, vel publice, vel privatim a Verbi Dei praedicatione prohibetur sub poena Excommunicationis (3) ferendae sententiae. Saeculares Sacerdotes pro hujusmodi munere obeundo a nobis facultatem postulent. Regulares vero, si extra sui ordinis Ecclesias in hac nostra Dioecesi concionem ad populum habere velint, id tantum poterunt ex nostra facultate, (4) quam petentibus

---

(1) S. C. C. in Narnien. 24. Febr. 1652. — Et in Trojana 14. Aug. 1700.

(2) Cap. sicut 14. — Et cap. cum ex injuncto 12. de haeret. — Concil. Cartag. IV. cap. 8. — Concil. Treviren. II. cap. 2.

(3) Cap. Excommunicamus 13. §. quia vero de haeret. — Concil. Constansien. sess. ultima — In Constit. Martini V. — S. C. C. 23. Jun. 1580. — Apud Fagn. in cap. Responso 43. de sent. Excom. num. 19.

(4) Trid. Concil. Sess. 5. de Ref. cap. 2. — Greg. XV. Const. Inscrutabili — Clemens X. Const. Superna.

in scripto dabimus, Rectori Ecclesiae exhibituris; si autem in Ecclesiis sui ordinis concionaturi sint, tunc a nobis benedictionem (1) postulare tenentur.

9. Concionatorem, quem praesertim adventus et quadragesimae temporibus mittere curabimus, Parochi ea excipiant benignitate, qua excipiendi sunt — ministri Christi, et dispensatores Mysteriorum (2) Dei — Praeterea Parochi, qua decet, charitate concionatorem doceant de praecipuis sui gregis vitiis; an sint serpentes abusus, mores culpandi, publica scandala; an quis error irrepserit; an quaedam impietas, aut superstitio animos teneat; aut alia id genus.

10. Nec sacri oratores populum hortari omittant, ne legatis ad pias causas quisque sese liberet. Cunctatorum etiam, ac reluctantium animos, gravissimis, quas concilia minantur, poenis vel maxime deterreant.

11. Angelicus Doctor sapienter sacros monet Oratores, ut, (3) — qui in concionando in aliquo mentiuntur, falsumque dicunt, ii quantum in se est, fidem evacuant. — Quapropter caveant ipsi, ne quid novi in medium afferant, quod nec probati scriptores, nec certa vel scriptura, vel traditionis monumenta tueantur. Videant etiam, ut sacrae Scripturae textus non vitient, nec inver-

---

(1) Concil. Trid. — Greg. XV. et Clem. X. — S. C. C. in Verc. 21. Mart. 1643.

(2) I. Corinth. 4. 1.

(3) S. Thom. 4. d. 20. a. 3. q. 2.

tant, nec inepta explicent interpretatione. Miracula autem et prodigia, de quibus ulla nec ab Ecclesia, nec a Patribus, nec ab optima critice extitit probatio, populis non enarrent. Aniles (1) quoque fabellas, ac ineptas historiolas prorsus devitent; nec quadam facetiis fugata garrulitate, mimicaque dicendi ratione populi risum moveant. Cavere autem omnino debent, ne sugestum in scenam convertant, et ne ludicris terriculamentis utantur. Praeterea volumus, ne concinniore dicendi genere uti studeant; sed pro ingenio discentium sese aptent; verbique ordinem pro audientis (2) capacitate dirigant. Discant potius a sanctis Ecclesiae Patribus sinceram illam, germanamque eloquentiam, quae non in verborum inani strepitu posita est, sed in satis apto dicendi genere, quod ab auctoritate divina robur vimque obtinet, a Philosophica ratione non abhorret, et Rhetoricis ita utitur coloribus, ut horum usus et copia nihil virtutis nihilque roboris evangelicae detrahat auctoritati.

12. Monialium concionatores eo utantur dicendi genere, quod choros Virginum decet, quae, se Deo devoventes, ad virtutum apicem attingendum omnes cogitationes, omnemque vitae rationem conferre quidem debent. Concionem habeant ipsi foribus clausis; nec exteros admittant. Ca-

---

(1) I. ad Tim. 4. 4.
(2) Can. 12. 8. quaest. 1.

veant etiam a privata cum monialibus collocutione. Quod si regularis sacerdos hujusmodi munere defungatur, meminerit, se censuras incurrere, quamvis privatis sermonibus (1) res inserat spirituales.

13. Antequam vero concionandi munus sacer Orator aggrediatur; tum quidquid (2) tridentini Patres ac (3) Innocentius XI. de praedicationis officio decreverint, tum quidquid in hoc Synodi titulo statuerimus, intento perlegat animo. Sacros praeterea concionatores hortamur in Domino, ut, ab Oratione, et ab ea praesertim, quam vocamus mentalem, numquam animum relaxent; cum satis superque perspectum habeatur, — nisi intus est, qui doceat, Deus, (4) linguam in vacuum laborare — Caeterum, ante omnium oculos ambulent in vitae innocentia, morumque integritate. Magnum enim pondus habet (5) vita dicentis. Nihil est, quod majus ad assequendas virtutes impedimentum importet, quam pravum Praedicantis exemplum. Nam concionatoris licentia, vel etiam criminis umbra fructum saepe impedit (6) universum. Sese igitur praebeant exemplum bono-

---

(1) S. C. Ep. et Reg. in terracinen. 5. Mart. 1608. — S. C. C. in Bergomen. 21. Maji 1678.
(2) Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Ref.
(3) Innocent. XI. Epist. Ency. a pluribus 1680.
(4) S. Greg Hom. 30.
(5) S. Aug. lib. de Doctrin. Christ. cap. 17.
(6) Clemens XI. in Ency. ad Epis. de Concionat.

rum operum in doctrina, in integritate, in gravitate (1).

14. Etsi autem in iis sacri oratores argumentis semper versentur oportet, quae ad majorem populi utilitatem opportuniora videantur; tamen praecipimus, ut prae ceteris haec, quae sequuntur, pertractanda suscipiant, nimirum — I Novissimi — Educazione de' figli — Rispetto alle Chiese e alle autorità — La fuga dall' occasioni prossime di peccare — I Sacramenti della Penitenza, e dell'Eucaristia.

15. Cum, ubi non est auditus, frustra disseminetur Verbum Dei; omnes fideles hortamur in Domino, ut ad sacras audiendas ventitent conciones, praesertim adventus et quadragesimae temporibus. Parentes etiam, eosque omnes, qui sunt de aliis rationem reddituri, monemus vel maxime, ut ad audiendum Verbum Dei, quod potest salvare (2) animas, sibi subditos vel semper vel saepissime mittant. Ne quid autem impedimenti sit, in quadragesima; diebus quoque non festis eo, quo sacer orator concionatur, tempore, mercatorum officinae, et eae, quae vulgo vocantur Caffè, omnesque cauponae occludantur, quae nemini, nisi iter habenti, tunc pateant. Quod vetitum volumus sub iis, quas in Edicto (3) pro quadragesima decernemus, poenis.

---

(1) ad Tit. 2. 7.
(2) Jacobi Ep. 1. 19. 21.
(3) Vide Append. num.

16. Cum vero Clerus caeteris praelucere teneatur exemplo bonorum operum; tum Dignitates et Canonicos eo, quo in peragendis Officiis utuntur(1), habitu, concionibus interesse volumus sub illa punctaturae poena, qua multari solent absentes a Missa Conventuali. Caeteros autem de Clero Sacerdotes et Clericos hortamur per viscera misericordiae Dei nostri, ne ad sacras audiendas conciones omittant accedere. Qui, si tempore, quo habeatur concio, in viis plateisque civitatis vagentur; cum tam pravo civibus exemplo noceant vel maxime; nos in re tanti ponderis connivere numquam posse, meminerint.

17. Ex nostro Seminario — Collegio Alumnos diebus Dominicis, singulisque feriis quartis et sextis, toto quadragesimae tempore, sacris concionibus interesse decernimus. Duabus vero per singulos menses diebus Dominicis, praeter Adventus et Quadragesimae tempus, alumni qui theologicis operam navant disciplinis, duce Eloquentiae sacrae, aut Theologiae Dogmaticae magistro, in seminarii templo, inter vel post Missam, brevem quemdam ad populum sermonem habeant.

18. Sacri denique concionatores, quos ad colendam Domini vineam, nobis creditam, misimus, suo jam munere functi, ad nos redeant, (2) ra-

---

(1) S. C. C. in Nicen. 18. Novemb. 1628. — In Verulan. 21. Jan. 1719. — Concil. Mediol. tit. 1. §. Episcopi.

(2) Plures Synodi.

tionem reddituri, aut saltem per litteras de re gesta nos edocere non omittant. Vicarii vero Foranei et Parochi nos de habita a concionatoribus vitae ratione, deque peractae praedicationis fructu certiores vel citissime faciant.

CAPUT VII.

DE SACRAE SCRIPTURAE LECTIONE

—

1. Eam, quae populis tradenda atque explicanda est, doctrinam in Sacrae Scripturae libris esse repositam, monet Apostolus — Omnis Scriptura, (1) divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus — Attamen in divinis libris plurima esse intellectu difficilia, nemo est, qui non fateatur. Hinc Sancti Petri monitum cuiquam Sacerdoti maxime attendendum est — Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit — (2) Verum per Ecclesiam magistram, sanctosque Ecclesiae Patres, qui in Sacris Scripturis explicandis plurimum insudarunt, tutam, quam sequi possumus, semitam habemus,

---

(1) II. ad Timoth. 3. v. 16. 17.
(2) II. Petri c. 1. v. 20.

atque hinc rectum earum sensum exquiramus oportet.

2. Ut autem — coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit — (1) populo Dei pateret; atque ut quisque fidelium ad vaferrimos impiorum hominum eludendos ictus, retudendamque audaciam instrueretur armatura fortium, duo Lateranensia (2) concilia, ac deinde Tridentina (3) Synodus, et Romana, (4) Sacras Scripturas planissime in Ecclesiis explicandas fidelibus esse decreverunt.

3. Quapropter cum in nostra Cathedrali Ecclesia jamdiu praebenda Theologalis erecta fuerit, quam etiam in insigni Collegiata Castilionensi nuper ereximus, nos quidem ne tot Conciliorum constitutiones, populique maxima institutio atque utilitas frustrarentur, haec de re tam gravi servanda statuimus.

4. Ex allatis Conciliis et juxta constitutionem Benedicti XIII. quae incipit — Pastoralis officii — oportet, ut Canonicus Theologus, qui sit doctorali laura in sacra Theologia praeditus, quatraginta saltem Lectiones in Ecclesia diebus festis, et horis per nos statuendis, quotannis habeat: (5)

---

(1) *Concil. Trid. sess. 5. cap. 1. de Reform.*
(2) *Concil. Lateran. III. sub Alex. III. et IV. sub Innoc. III,*
(3) *Concil. Trid. sess. 5. cap. 1. de Ref.*
(4) *Concil. Rom. habit. a Bened. XIII. anno 1725. tit. 1. cap. 6.*
(5) *Concil. Rom. Tit. 1. Cap. 7.*

nec ipse, nisi justa intercesserit causa, nec sine nostra venia, quemquam alium Sacerdotem in tanti operis ministerio sibi sufficere audeat. Si vero Canonicus Theologus propria ex culpa lectionem omittere non dubitaverit; eas quidem, quae a Benedicto XIII. hac de re sancitae sunt, poenas sibi subeundas esse sciat. Hinc hujus Pontificis constitutionem, quae incipit — Pastoralis Officii — saepe perlegat ipse vel diligentissime.

5. Cum Tridentinum Concilium Sacrae Scripturae versionem, quae Vulgata vocatur, authenticam habendam (1) esse decreverit; ea prae caeteris, Canonicum Theologum uti jubemus. Nostrum autem erit, praestituere, quemnam ex divinis libris explicandum suscipiet.

6. Canonicus Theologus, nisi data plurimo studio opera, ad publicam lectionem non accedat. Non enim solum Scripturarum sensum, sed earum quoque spiritum introgredi curet, ope divini auxilii implorata. Nam cum verba Domini spiritus et vita sint (2); hinc, ut S. Bernardus ait, — quo spiritu facta sunt, eo spiritu legi debent et explicari. (3)

7. Ut autem illum, quem tot Concilia ex Theologalis praebendae institutione fore sibi suaserunt, fructum consequantur fideles, Canonicus Theolo-

---

(1) Concil. Trid. Sess. 4. in decret. de edit. et usu Sac. librorum.
(2) Joan. c. 6. v. 64.
(3) S. Bernard. de vita solit. c. 10. in fine.

gus non solum eas, quae scholam sapiunt, omittat, sed etiam duas in omni lectione quaestiones exponat et solvat: quarum altera sit scripturalis, altera sit moralis, aut de fidei articulis et sacramentis, (1) aut de sacris Ecclesiae ritibus, ac de aliis, quae ad sacrarum rerum amorem, integramque divinae legis custodiam audientium animos excitent atque inflamment. Noverit ipse, si suas lectiones secus habuerit, se non facere fructus suos.

8. Ut vero Canonicus Theologus ad lucubrandas lectiones eo, quo par est, se comparet, studio; potest, non punctandus, nec distributionibus destituendus, die, quo legit, a choro vacare. Nec autem, inconsulto Episcopo, capituli peracturus negotia procul a civitate mitti poterit, nec ipse hujusmodi negotia extra civitatem curaturus sumat (2). At caetera officia ipsi a Capitulo demandata, non aliter, quam alii Canonici, obire tenetur.

9. His Sacrae Scripturae lectionibus Dignitates et Canonici sub punctaturae poena interesse debent (3). Cappellani autem nostrae Cathedralis Ecclesiae, omnes Confessarii, reliqui etiam Sacerdotes, et Clerici sub poenis pro praetermissionis culpa irrogandis, sine legitima causa adesse non omit-

---

(1) *Conc. Rom. Tit. 1. Cap. 7.*
(2) *S. C. Conc. apud Lambert. Inst. 107.*
(3) *Conc. Rom. Tit. 1. Cap. 9.*

tant. Post datum aeris campani signum, tempore, quo habebitur lectio, omnes tabernae, aliaeque officinae praeter eas, ubi medicamina veneunt, claudantur.

10. Omnes denique Sacerdotes Chrysostomi verbis hortamur — (1) ut non modo Divinae Scripturae lectionem diligenter in Ecclesia auscultent, sed et domi Divinos libros in manus sumant, et utilitatem, in illis positam, magno studio hauriant — Unum et alterum, quotquot eunt dies, sacrae Scripturae caput ex ordine perlegant, praesertim luctuosissimis hisce temporibus, quibus secta illa vaferrima, quae Biblica vocatur, sacras Scripturas corrumpere satagit. Verum meminerint Sacerdotes, quid moneat Tridentina Synodus, quae praecipit, ut — nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem Doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sanctam audeat interpretari. (2) —

11. Patribus igitur ducibus, atque Ecclesiae oraculis veluti manu ducti, sacras Scripturas me-

---

(1) S. Joan. Chrysost. Hom. 29. in Genes.
(2) Conc. Trid. sess. 4. in decret. de edit. et usu sacror. librorum.

ditentur Sacerdotes omnes, quibus oportet scientiam custodire. Tunc Dei virtutem, ejusque sapientiam dignoscent, et magno animo et erecto praeliabuntur praelia Domini. Si denique librum hunc, qui est (1) lucerna pedibus et lumen semitis nocturna diurnaque manu versent, somnoque cadentem eorum genam pagina sancta (2) suscipiat; tunc profecto non solum ipsi inter tot et tanta humanae vitae pericula inoffenso pede incedent; sed etiam, doctrina et exemplo fidelibus praelucentes, deducent populos per semitas Domini.

CAPUT VIII.

DE DOCTRINA CHRISTIANA

—

1. Fides ex auditu (3), auditus autem per verbum Christi: hinc necesse est, erudiri populos, ut audientes intelligant, intelligentes in doctrinis glorificent Dominum, aeternamque salutem assequantur. Quam vero salutem nemo assequi quidem potest, nisi, quae de necessitate medii necessario scienda, et credenda sunt, didicerit, et nisi, quae de necessitate praecepti sunt,

(1) *Psal. 118. v. 5.*
(2) *Hierony. Epist. ad Nepot.*
(3) *Rom. 10. 17.*

omni diligentia ac studio ediscenda curaverit, cum hujusmodi studium ex vi legis sine gravi reatu omitti nequeat.

2. At cum nostri muneris sit, ita gregem nobis creditum regere, ejusque saluti ita consulere, ut fidei pabulo eum nunquam carere patiamur; ne autem a Domino de neglecta re tanti ponderis aliquando arguamur; has de Doctrina Christiana tradenda leges edicimus.

3. Haec Concilii Tridentini verba maxime sunt attendenda — Archypresbiteri, Plebani, et quicumque Parochiales, vel alii curam animarum habentes, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem (1) — Hinc Parochis, aliisque de jure in tota Dioecesi nostra edicimus, ut singulis diebus festis de praecepto, (2) ex quibus excipimus tantum Dominicas Palmarum, Paschatis, Pentecostes, diesque Nativitatis, et Corporis Domini, et Patroni principalis, per horam unam hieme, per horam unam cum dimidio tempore aestivo, ante vel post meridiem, prout major utilitas postulet, pueros et puellas a teneris annis usque ad annum decimum sextum, et etiam adultos, qui in catechesis igno-

(1) *Conc. Trid. sess. 4. de Refor. c. 2.*

(2) *Concil. Rom. 1725. sub Ben. XIII. tit. 1. cap. 4. — Syn. Elisei sess. 1. cap. 4.*

ratione versantur, doctrinam christianam edoceant; populumque de iis, quae ad sacrarum rerum notionem, morumque disciplinam pertinent, instituant.

4. Ad catechesim indicendam non solum aere campano signum edatur, sed etiam tres pueri, alter crucem ferens, alter tintinnabulum pulsans, una cum Clerico paroeciae vicos perlustrent, et ad doctrinam Christianam pueros advocent.

5. Toto tempore, quo catechesis habetur, neque in viis, et ante templum fiant ludi, strepitus, sonitus, nec circulatores ad populum sermunculos faciant sub poena gravi irroganda.

6. Cum Pastor gregem, Pastoremque grex agnoscat necesse sit; tum cujusque paroeciae pueri et puellae docendae sunt, docerique a proprio tenentur Parocho; et sicubi contraria consuetudo sit, eam abrogatam edicimus (1).

7. Mares a puellis seorsum sedeant (2); tum istae tum illi in classes distribuantur. Sit etiam piarum Magistrarum officium, puellas fidei rudimenta edocere. Si Magistrae piae alicubi desint, Virgines aetate provectiores, integerrimaeque vitae, rerumque fidei scientes, a Parochis, tamquam adjutrices, advocentur, quae, data ab ipsis methodo, puellas catechesi erudiant. Catechistica vero e-

---

(1) S. C. Conc. die 9. Aug. 1734. Bened. XIV. Inst. Eccl. 9. §. 10.

(2) Concil. Rom. cap. 4.

lementa, ut Benedictus XIII. et Benedictus XIV. (1) statuerunt, ex libello Doctrinae Christianae, quem jussu Clementis VIII. edidit Cardinalis Bellarminus, aut etiam ex libello alio per nos praestituto, depromenda sunt.

8. Si qua consuetudo alicubi adsit, ut tempore aut messis, aut autumni Doctrinae Christianae traditio intermittatur (2), non erit attendenda, cum eam Sacra Congregatio Concilii abrogatam decreverit.

9. A Dominica prima quadragesimae usque ad dimidium ejusdem quadragesimae quotidie (3) Parochi, stata hora, pueros ad Doctrinam Christianam tradendam colligant. A dimidio Quadragesimae usque dum necessitas postulat, pueros a nono aetatis anno, et supra Parochi, Magistrae vero piae vel Parochi ipsi puellas, de Sacramentis Confessionis, et Eucharistiae rite sancteque suscipiendis instituant.

10. Non solum Parochi, cunctique animarum curatores, sed Patresfamilias pro filiis, tutores pro pupillis, heri pro famulis, Magistri pro discipulis, Patrini pro iis, erga quos vel in Baptismate, vel in Confimatione susceptos, sese parentum vices gerere spoponderunt, omnesque Rectores, et Praesides pro sibi subditis, eniti ac cu-

---

(1) *Bened. XIII. in Conc. Rom. T. 1. cap. 4. — Bened. XIV. Const.* Etsi minime.

(2) *S. C. Conc. in Hortana 8. Aug. 1744.*

(3) *Const.* Etsi minime. *§. 5.*

rare tenentur, ut ipsi, quisque suos, rudimenta fidei, vel per se, vel per alios edoceant, spirituque imbuant timoris Dei.

11. Monitos etiam volumus Patresfamilias, ceterosque, qui aliis praesunt, nos tum in ipsos tum in filios, subjectosque pueros severe acriterque acturos, si in re tam gravi proprio defungi munere neglexerint.

12. Tum vero, qui in clericalem coetum, atque inter Seminarii Collegiique alumnos adsciscì exoptant, tum qui nuptias inire (1), Patrinorumve officium suscipere desiderant, tum quae puellae legata dotalia (2) subsidia expetunt, de assiduitate et profectu in catechesi Parochorum testimonium exhibeant. Repulsae dignum statuimus, quisquis hujusmodi testimonio destituitur.

13. Sacerdotes, ad edocendos catechesim pueros sunt ex ministerio suo vocati. Ipsi enim, prae mentis oculis habeant, se nihil hac re Deo acceptius acturos; nec se ad otium, et commodum sacerdotale officium suscepisse, sed ut adjutores sint Episcopi; et divinam legem die, ac nocte meditantes, quod legerint, credant, quod crediderint, doceant; quod docuerint, imitentur; eorumque doctrina sit spiritualis medicina populo Dei, odor vitae, delectamentum Ecclesiae Christi.

---

(1) Decr. Congr. sub Inn. 1692. confir. a Clem. XI. 1713. — Bened. XIV. Inst. Eccl. 9. §. 12. — Const. Etsi minime.

(2) Edit. sub Inn. XI. 1766. — Clem. XI. ann. 1701. et Clem. XII. 1730.

14. Hoc etiam nobis est in votis ut ad constituendam Doctrinae Christianae congregationem in Dioecesi nostra tum viri, tum mulieres integerrimae vitae advocentur. Hujusmodi congregationes pueros, et puellas ad catechesim cogant, desides moneant; et dum catechismus habetur, classibus invigilent. Has vero congregationes ut plurimis indulgentiis perfruantur, Parochi in Romanam Doctrinae Christianae archyconfraternitatem adsciscí curent. Indulgentiarum compendium, quod in appendice dabimus, quotannis Dominica secunda Januarii, et Julii Parochi inter missarum solemnia populo legere tenentur. (1)

15. Parentes autem, omnesque, qui aliis praesunt, noverint, se aeterna salute periclitari, (2) si filios, sibique subditos pueros a Doctrina addiscenda quoquo modo prohibeant, vel avertant; aut per impiam negligentiam non curent, ut eorum adolescentuli ad hoc necessarium aeternae vitae pabulum accedant.

16. Ut vero pueri puellaeque ad doctrinam christianam facilius addiscendam magis alliciantur atque excitentur, tenuem decernimus a sodalitiis persolvi taxam ad quaedam constituenda praemia, quibus pueri et puellae in catechesi frequentanda

---

(1) Vide append. N.

(2) Vide tabulam reservatorum casuum Conscientiae in titulo poenitentiae.

et discenda diligentiores in parochiali Ecclesia die quodam festo, a Parocho donentur.

17. Probos denique viros, piasque in Domino hortamur mulieres, ut in Parochorum auxilium, ad honorem gloriamque Dei, ad animarum suarum, puerorumque salutem sese Doctrinae Christianae congregationibus inscribi curent, praemium illud certe quidem sperantes, quod Spiritus Sanctus in Sapientiae Libro pollicetur — Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt, sicut stellae in perpetuas aeternitates. —

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

1. Cum corpore, et anima constet homo, hominisque natura expostulet, ut ipse (1) per sensibilia in cognitionem intelligibilium perveniat; hinc Sacramenta rebus sensibilibus homini intelligenda divinitus tradita sunt. Ut igitur melius intelligeret homo, quae occulta Dei virtute in illis suscipiendis efficiuntur; voluit Christus, ut novae legis Sacramenta nihil aliud essent, nisi res sensibiles, sacrae, permanentes, quae ex divina institutione sanctitatis, et justitiae tum significandae tum efficiendae vim haberent (2).

2. Vere misericors est Christus Dominus, cu-

(1) *S. Jo. Chry. hom. 83. in Math. et hom. 60. ad pap. Antioch.*
(2) *Catech. Rom.*

jus latere sacramenta manarunt! Per haec enim gratiarum fluenta nobis aquam salutis datum est haurire de fontibus Salvatoris (1). Haec sunt septem illae (2) columnae quibus fultum Ecclesiae aedificium ea stat firmitate positum, ut inter impietatis inferique conatus, maximasque vel saepissime commotas tempestates, semper integrum assurgit, ac formidandum. Haec sunt illa veluti vincula, quibus nationes, nec terris, nec moribus, nec rebus, linguisque inter se conjunctae in unitate novi sanctique (3) foederis colligantur. Haec sunt demum illa divinae misericordiae pignora, et potissima salutis nostrae instrumenta, per quae omnis vera justitia incipit, vel coepta augetur, vel amissa (4) reparatur. Ut igitur haec tam sancta, nobisque tam salutaria rite recteque administrentur; atque ut fideles ea, qua decet, reverentia ac pietate ad hos accedant misericordiae fontes, nonnulla de Sacramentis in genere verba facere statuimus.

3. Inter ceteras, quibus ad homines decipiendos diabolus utitur, rationes potissimum obtinent locum nimis ardens divitiarum sitis, nimisque vehemens terrenae felicitatis amor. Res quidem acerba, et lacrymosa est, videre vel plurimos, prae insatiabili augendarum opum cupiditate, penitus

---

(1) Isaias c. 11. v. 3.
(2) Catech. Rom. de Sacr. in gen. §. 14.
(3) S. Aug. Contra Faust. lib. 19. cap. 11.
(4) Concil. Trid. sess. 1. in Proemio.

oblivisci, quae Dei sunt, et sic incidere in tentationem et in laqueum Diaboli, et in desideria multa (1), et nociva, quae mergunt eos in interitum, et perditionem. Hinc Parochi, omnesque Sacerdotes populos ab hujusmodi insidiis inimici avocare curent; eosque moneant, ut, si pertransire velint per bona temporalia, quin amittant aeterna, ad Ecclesiae sacramenta saepe pieque accedant, in quibus vires ad resistendum diabolo, et lumen ad ea, quae recta sunt, in tanto aeternae damnationis periculo intuenda, plenius invenient.

4. Quod si contingat, ut nefarii perditique homines, quorum os maledictione, et amaritudine plenum est, cum nihil sit tam sanctum, quod non irrideant, catholicam sacramentorum fidem quoquo modo maculare praesumpserint; tum Parochi, et Vicarii Foranei, tum quisque Fidelium eos statim ad nos deferant.

5. Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori accedat reverentia majorique pietate; Parochi, et Concionatores curent, ut vernaculo (2) simplicique sermone, omniumque, et praesertim ruricularum captui accommodato, explicent septemnarium sacramentorum numerum, institutionem, dignitatem, materiam, formam, naturam, effectus, usum, praecipuasque rituum significationes,

---

(1) ad Timoth. 6. v. 9.

(2) Cathech. Rom. de Sacr. in gen. §. 19.

et quidquid a germana, quam de Sacramentis tenet Ecclesia, absonum est doctrina, profanum, et haereticum esse, atque anathemate perculsum.

6. Doceant etiam animarum Curatores, Baptismum, quo Christo (1) renascimur, et Poenitentiam, qua sanitas post acceptum peccati vulnus amissa restituitur, ex iis esse Sacramentis, quae sunt ad salutem vel in re, vel in voto necessaria. Enumerent etiam divinarum gratiarum fluenta, quae a ceteris derivamus Sacramentis. Qui sitit (2) veniat; et qui vult, accipiat aquam vitae gratis.

7. Ad Sacramentorum valorem quod attinet, haec Eugenii IV. verba Sacerdotes attendant vel diligentissime — Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri conferentis sacramentum (3) cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. — Hinc legitima adhibeatur materia: formulae autem, quae ad Sacramentorum substantiam pertinent, accuratissime pronuntientur. Horum si quid defuerit, aut si substantialiter mutetur, irritum erit sacramentum.

8. Secum ipsi saepius recogitent Sacerdotes, sacramenta iis, qui haec impure ministrant, ae-

---

(1) Jo. c. 3. v. 5. — ad Tit. c. 3. v. 5.
(2) Apoc. c. 25. v. 1.
(3) Ita etiam Concil. Flor. in Decreto unionis.

ternam mortem afferre. Induant igitur in sacramentorum ministerio justitiam: accedant integri vitae, scelerumque puri, ut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Si cognoverint se gravi culpa inquinatos, in sacramento se se mundent Poenitentiae. Sanctificentur, qui ad Dominum accedunt (1), ne percutiat eos. Si vero desit copia Confessarii, per contrictionem in Dei quaerant redire gratiam (2), ad confitenda peccata quam primum adituri.

9. Sacerdotes praeterea in Sacramentorum administratione facti sunt spectaculum Deo, Angelis, (3) et hominibus. Hinc cum animi puritate conscientiaeque munditia exteriorem etiam corporis cultum, ornatumque congruum conjungant necesse est. Sint ad gravitatem modestiamque compositi; quae ab eorum incessu, oculis, totiusque corporis habitu emicet amabilis et simplex. In ipso Sacramentorum ministerio vestem talarem, superpelliceum, congruique coloris stolam sibi induant. Cum autem sacrae suppellectilis (4) vasorumque mundities, et nitor ad excitandam populi pietatem plurimum conferat, caveant Sacerdotes, et praesertim Sacrista, et Parochi, ne quid in iis sordidum sit, quae tam sancto addicta sunt muneri.

10. Debent etiam Sacerdotes sacrarum caere-

---

(1) Exod. 19. v. 22.
(2) Concil. Trid. sess. 13. c. 7.
(3) 1. ad Corinth. 4. v. 9.
(4) Inn. III. in Conc. Later. c. 19.

moniarum rituumque scientiam callere; in quibus nihil est, quod non sit sanctum, et pium. Praeparant enim ad gratiam corda nostra ritus, qui Sacramentis praemittuntur; qui, cum actionem sacramentalem comitentur, rei sanctitatem (1) veluti sub oculis ponunt, et in acceptis beneficiis, atque auxiliis supernaturalibus corda firmius confirmant — Rituale Romanum igitur saepius evolvant ac perlegant Sacerdotes, ne per ignorantiam in ipsis etiam divinis sacramentis offendant. (2)

11. Cum praesertim Parochorum sit sacramenta (3) administrare, Parochus, etsi alium Sacerdotem suo in munere sibi socium assumpserit, tenetur tamen per seipsum (4) oves suas, si poterit, sacramentis reficere, atque ea exequi, quae majus Dei obsequium, certioremque animarum salutem praeseferant. Caeterum caveat ipse, ne sacramenta, nisi necessitas urgeat, in alienis (5) Paroeciis ministret. Meminerint autem Regulares, sese in excommunicationem latae sententiae summo Pontifici reservatam (6) incidere, si matrimonii, Unctionis extremae, ac Viatici Sacramenta sine Parochi venia ministraverint.

---

(1) Catech. Rom. p. 2. n. 16.

(2) Conc. Tolet. IV. Can. 25. relat. — in can. 2. distin. 28.

(3) Sacr. Ambros. relat. a S. Carolo p. 4. act. Ecc. Mediol. de sac. admin.

(4) Conc. Rom. tit. 1. cap. 4. — S. C. C. In sabin. jur. Par. 1. Martii 1742.

(5) Trid. sess. 24. de Refor. cap. 13.

(6) Clem. I. de privileg. — Greg. XV. in Cons. Inscrutabilis.

11. Dona Christi sunt gratuita prorsus dispensatione (1) donanda. Absit, ut foedum avaritiae vitium illorum dispensatores inquinet ac deturpet. Nihil igitur Sacerdotes pro Sacramentis administrandis exigant, exquirant, (2) paciscantur. Accipi tamen non vetamus (3), quae sacramento jam peracto sponte offeruntur, prout in Baptismi, et matrimonii sacramento fieri solet.

13. Fideles moneat vel saepissime Parochus, qua Religione, qua humilitate, quo modesto corporis cultu ad suscipienda Sacramenta accedere debeant. Viri deponant (4) arma: mulieres progrediantur vestium modestia, velatoque semper capite, ut Apostolus praecipit (5).

13. Animarum Curatores quacumque hora, diu noctuque ad sacramenta prope, vel longe ministranda accersiti, sese paratos semper exhibeant. Hilaritate vultus, verborumque suavitate illas ostendant charitatis flammas, quibus ardeant, oportet, pro ovibus suis. Profiteantur candide numquam fore, ut ad eas caelesti subsidio juvandas

---

(1) *Ex. Concil. Triburiensi.*

(2) *Gelas. Ep. 1. Cap. 7. ad Episc. per Lucaniam — Conc. Brachar. 11. Can. 7. — Elliberitanum Conc. 48. — Cabilonense tempore Caroli Magni Can. 16. — Cameralense 11. tit. 5. cap. 5.*

(3) *Concil. Tolet. XI. can. 8. — Concil. Bracar. II. can. 7. cap. quidquid 101. et cap. Placuit 103. caus. 1. q. 1.*

(4) *Conc. Mediol. V. p. 1. Tit. quae ad Sacramentalia, et Sacramenta.*

(5) *1. ad Corinth. II. v. 5. — Ex edicto Innoc. XI. 3. Novemb. 1685.*

ullis vigiliis, ullisque parcant laboribus. Ægros insuper saepius invisent, eosque ad confitenda peccata monitis adducant paternis. Adortentur denique, ne quis Sacramentis, quae Christus Dominus ad nostram praeparavit salutem et felicitatem (1), impie misereque abutatur ad mortem, et perditionem.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO BAPTISMI

1. Aquâ illâ mundâ, quam per Ezechielem pollicitus fuit Dominus super nos effundere, ut ab omnibus (2) inquinamentis mundaremur, ex benignitate nostri Dei abluimur in suscipiendo Baptismate; quod vere est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo (3).

2. Per hoc enim vitalis aquae lavacrum Christus suam mundat Ecclesiam, eamque sibi exhibet pulcherrimam, non habentem maculam (4), neque rugam. Per hoc peccato morimur, vivimus Deo; Veteremque Adam exuti, induimur Christum, ut consepulti cum illo (5), in novitate vi-

(1) *Concl. Remense ann. 1564. Statuto 3.*
(2) *Ezechiel. 36. v. 25.*
(3) *Catech. Rom. de Sacr. Bapt. §. 5.*
(4) *Ephes. 5. 27.*
(5) *Rom. 6. 4.*

tae ambulemus. Per hoc patet janua Caeli, cum, qui vel in re vel in voto illud non suscipiunt, nec sint aeternae felicitatis haeredes constituti; nec cum Christo, tamquam membra (1), conjuncti; nec idcirco introire possint regnum Dei (2). Unde Apostolis sic mandavit Christus Dominus — euntes, docete omnes gentes (3) baptizantes eos — tanta est igitur praestantia, et necessitas Baptismi, ut ab eo omnis incipiat fidei origo, et ad spem vitae aeternae (4) salutaris ingressio. Hinc muneris nostri ratio poscit, ut, quae in illo rite recteque administrando servanda sunt, ea monere non omittamus.

3. Quoniam per Baptismum non modo peccatum aut ab origine contractum, aut ab homine perpetratum, remittitur, omnesque peccatorum scelerumque poenae condonantur; sed etiam divina gratia, qua filius Dei, aeternaeque haeres salutis efficitur homo, omnesque nobilissimae virtutes in animam divinitus infundantur, pulchre ditamur: videant Parochi, quae et quanta religio et diligentia adhibenda sit in hujus primi tam salutaris et tam necessarii Sacramenti administratione. Ad illius materiam quod attinet, haec sit aqua naturalis (5), seu elementaris, quam Christus ipse de-

---

(1) *Ex August. de peccat. mor. et remis. lib. 1. cap. 26.*
(2) *Joan. 3. 5.*
(3) *Matth. 28.*
(4) *S. Cypr. Ep. 73. ad Jubajan.*
(5) *Concil. Trident. sess. 7. can. 2.*

signavit, cum dixerit — Nisi quis (1) renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non poterit introire regnum Dei — Tolle aquam, ait S. Augustinus (2), non est Baptismus. — Nullus igitur alius liquor potest adhiberi. Si vero morti proximus sit infans; si deficiat certa, tum dubia uti possumus aqua sub conditione; ne certae committatur infans damnationi: qui vero, si convaluerit, interposita baptizetur conditione. Parochus praeterea aqua (3) non utatur communi, nec ea, quae pro lustrationibus (4) benedicitur; sed eam adhibere tenetur, quae in Pervigiliis Paschatis (5), et Pentecostes quotannis benedicenda est. Si vero hujusmodi aqua non sufficiat, infundatur nova: si desit omnino, alia juxta ritualis Romani (6) praescriptum benedicatur.

4. Verborum formula ex ipsis Christi verbis sumpta est — Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti — Videant Parochi ne quid huic addatur formulae, ne quid illi detrahatur, vel immutetur. Obstetrices ad errorem, in quem ob latini sermonis imperitiam prolabi possunt, vitandum, sic Baptismi formam italico pro-

---

(1) *Joan. 10. v. 2.*

(2) *S. Aug. Tract. 5. in Joan. 4.*

(3) *S. Basil. lib. de Spir. San. cap. 27. — S. Ambr. de Sacr. lib. 2. cap. 5.*

(4) *Bened. XIV. Constit. Inter omnigenas.*

(5) *Ritual. Rom. de Mat. Bapt.*

(6) *Rit. Rom. loc. cit. §. si vero.*

ferant sermone, — Io ti battezzo in nome del Padre, e del Figliolo, e dello Spirito Santo — Praeterea idem et unus sit, qui aquam effundat, et (1) verba pronuntiet; ita ut trinae per modum Crucis ablutioni respondeat verborum prolatio; et caput, non quaelibet sine necessitate pars corporis, abluatur; et aqua ea sit quantitate, ut defluat (2).

5. Minister, qui ad hujus Sacramenti administrationem lege constituitur, est Parochus (3) in sua Paraecia, et non in alia; vel quilibet Sacerdos a Parocho, vel a nobis delegatus. Quoniam vero hoc Sacramentum ad salutem necessarium omnino est; hinc Dei misericordia ita constituit, ut nemini (4) esset, si necessitas cogeret, illius interdicta administratio. — Non solum enim Sacerdos, vel Diaconus, ait Eugenius IV., sed (5) etiam laicus vel mulier, imo etiam Paganus et Haereticus baptizare potest — si tamen id, quod efficit Ecclesia Catholica, in eo administrando efficere (6) propositum sibi fuerit. Attamen Infideli Fidelis, vir mulieri, Laico Clericus, et, ut brevi dicam, minus digno dignior praeferatur. Pater Materque ipsa id proli periclitanti, si nemo, qui ba-

---

(1) S. Thom. 3. qu. 67. art. 2.

(2) Catech. Rom. P. 2. de Sac. Bapt. §. 19.

(3) Clem. I. Ep. 3. — Conc. Flor. in decr. union. — Conc. Red. par. 2. tit. de Bapt.

(4) Can. cum const. 19. et 21. de Cons. dist. 4. — Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17.

(5) In decret. p. 3. de Consecr. dist. 4.

(6) Concil. Flor. in Decr. Union. — Concil. Trid. sess. 7. cap. 4.

ptizat, adsit, praestare debent, quin Spirituale cognationis vinculum (1) contrahant. Si postea convaluerit infans, deferatur ad Ecclesiam, ubi omnes a Parocho illae, quae fuerunt omissae, perficiantur caeremoniae, quae (2) negligi, vel variari sine peccato (3) nequeunt. De collato autem privatim Baptismo certum habeat Parochus testimonium (4).

6. Si dubitetur, utrum Baptismus praesertim a rudibus collatus, validus sit, necne; tum Parochus, de baptizante, de materia, de forma, rituque diligenter inquirat. Si adhuc sit dubitandi locus, tum infantem sub hac conditione (5) baptizet — Si non es baptizatus (6), ego te baptizo in nomine etc. qua conditione sunt etiam baptizandi infantes expositi, nisi testis idoneus de collato baptismo certam faciat fidem. Ab incerta quidem collatione Baptismi non satis liberat schedula ab ignoto auctore conscripta, apud infantem inventa, cui (7) Baptismus est sub conditione conferendus. Si in testimonii schedula nomen inscriptum sit, illud asservetur. Sciendum tamen est, qui etiam sub con-

---

(1) *Pius V. Const. Cum illius vicem.*

(2) *Bened. XIV. Inst. 99. n. 16. — Bellarmin. de Sac. Bapt. lib. 1. cap. 24.*

(3) *Concil. Trid. sess. 7. de Sac. in gen. can. 13.*

(4) *Benedict. XIV. Inst. 98. n. 14.*

(5) *Can. Parvulos 110. de Cons. dist. 4. — S. Leo sup. rel. in can. cum itaque 112.*

(6) *Rit. Rom. loc. cit.*

(7) *Can. 110. et 112. de Consec. dist. 4 — C. Nuper de testibus.*

ditione non dubie collatum iterat Baptismum, eum (1) fieri irregularem, gravissimique reum Sacrilegii. Praeterea si cui adulto ministrandus sit Baptismus, res ad nos, excepto vitae discrimine, deferatur.

7. At quid de partu monstruoso? Parochi, (2) quid in hujusmodi casu sibi agendum sit, consulant medicae artis peritos, eorumque sequantur sententiam; atque etiam, nisi urgeat necessitas, nos de re certiores reddant. Si tantum de valore sacramenti dubitetur, baptizetur sane sub conditione; nec de injuria sacramenti timeatur, quia non temeritas intervenit praesuntionis, ubi est diligentia pietatis. Quoties autem, Matre ex partu laborante, non in capite sed in quacumque corporis parte fuerit infans aqua ablutus salutari; si postea ipse evaserit incolumis, iterum interposita conditione baptizetur (3).

8. Curent praetera Parochi, ne fabulosa, ridicula, obscoena (4), profana, aut inanium Deorum, vel Paganorum, eorumque praesertim, qui iniquissimi fuerunt, nomina imponantur infantibus. Qui enim per Baptismum ad vitam nati sunt, ab

---

(1) Can. Eos, quos 118. de Consec. dist. 4. — Et cap. ex litterarum 2. de Apostatis et reit. Bapt.

(2) Rit. Rom. de Baptiz. parv.

(3) Rit. Sacrament. jussu Gregor. XIII. 1584. — S. Thom. part. 3. q. 6. art. 11.

(4) Concil. Nic. can. 30. — Concil. Mediolan. IV. part. 2. de Sacr. Bapt. — Concil. Rhemens. 1585. tit. de Bapt. cap. 7. — Benedct. XIV. Const. Omnium sollicitudinem.

iis, qui manent filii irae, (1) sedentesque in tenebris, et in umbra (2) mortis, distingui debent. Hinc ab aliquo ex Sanctis, qui regnant cum Christo, quique in Romano, quoad fieri potest, martyrologio recensentur, sumenda sunt nomina; ut ipsius nominis similitudine, dum ad aliquam adoleverint aetatem, in illius Sancti exempla in toto vitae curriculo imitanda excitentur pueri, et hoc praesidio muniti de manu inimicorum (3) liberentur, viamque peragant salutis.

9. Adsint etiam ex antiquissima Ecclesiae consuetudine in Baptismi collatione (4) susceptores, qui vulgo Patrini nuncupantur. Parochus diligenter, ut ait Tridentinum: ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem et quam elegerint, ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum atque illam tantum ad infantem suscipiendum (5) admittant. Sed unus tantum sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una Baptizatum de Baptismo (6) suscipiant. Licet etiam per procuratorem hoc patrini defungi munere; nec Procurator ullo cognationis vinculo alligatur.

10. Cum Patrinorum munus non sit nudum no-

---

(1) *ad Ephes. 2. v. 3.*
(2) *Isaiae 9. v. 2.*
(3 *Lucae 1. v. 74.*
(4) *Ex Catech. Rom. de Bapt. sect. 26.*
(5) *Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de Refor.*
(6) *Concil. Trid. loc. cit.*

men, sed gravissima obligatio; Parochus Patrinos moneat, quae sint eorum partes, et quid filios spirituales edocere tenentur. Debent eos, ait S. Augustinus (1), admonere ut castimoniam custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant; et ante omnia symbolum, et orationem dominicam eos doceant, Decalogum etiam, et quae sint prima christianae Religionis rudimenta. Unde clare aperteque patet, non omnibus esse tantum munus committendum.

11. Quare a suscipiendo Patrinorum officio arcendi sunt, praeter naturales parentes, illi, qui Dei Ecclesiaeque praecepta, orationem dominicam, salutationem angelicam, et symbolum, et prima catholicae fidei mysteria ignorant; qui sacramentum confirmationis non (2) susceperint; qui paschali non satisfecerint praecepto; Judaei, Infideles, publice excommunicati, Haeretici, interdicto subjecti, publice (3) criminosi, infames, atque ii, qui sana non sint mente praediti.

12. Patrini etiam munus Monachis, Monialibus, cujuscumque ordinis (4) regularibus, nec non Clericis in sacro ordine constitutis, sine nostra in scriptis (5) venia interdictum est. Rejicien-

---

(1) S. Aug. Serm 163. et 165. de temp. — Can. Vos ante 105. de consecr. dist. 4.

(2) Can. In Bapt. 102. de consecr. dist. 4.

(3) Syn. Audemaren. 1585. tit. 3. cap. 6. — Syn. Meclinien. 1604. — Syn. Elisei.

(4) Rit. Rom. de Patrinis in Sac. Bapt.

(5) Syn. Elisei de Bapt. n. 3.

di sunt quoque mares ante decimum quartum annum, et foeminae ante duodecimum (1) aetatis annum. Si admittantur milites, cum conferatur Baptismus, arma ponant.

13. Patrinos praeterea moneat Parochus de dirimente Matrimonium cognatione, quae Patrinos inter, ac Baptizatum, et illius Patrem ac Matrem, nec non inter Baptizantem et Baptizatum, Baptizatique parentes contrahitur: unde inter hos omnes matrimonium (2) iniri nefas est; et si fuerit initum, dirimatur, cum irritum sit. Attamen inter Patrinorum conjuges ac susceptum ipsum nullum (3) cognationis vinculum intercedit.

14. Quoniam vel saepissime contingit, ut proxime morituros infantes baptizent obstetrices; quidquid idcirco ad hoc sacramentum recte conferendum pertinet, probe ediscant ipsae, necesse est. Nulla dehinc mulier obstetricandi artem exerceat, nisi a proprio Parocho examine, quotannis iterando, probata (4), idonea ad Baptismum rite administrandum reperiatur, et de hoc testimonium, gratis concedendum, ab ipso Parocho (5) habuerit. Si qua vero, aut annuo examini sese subjicere

---

(1) Syn. Elisei loc. cit.

(2) Can. Super quibus — Can. Pittacium — Et Can. Final. 30. q. 3. cap. super eo — Concil. Tridet. sess. 24 de Reform. cap. 2.

(3) Pius V. Const. Cum illius vicem.

(4) Concil. Mechiliniense II. cap. 7. — Concil. Cameracnense II. tit. 6. cap. 2.

(5) Concil. Mediol. V. par. 1. tit. de Bapt.

recusaverit, aut a proprio munere suspensa, obstetricis tamen officio defungi audeat, sine spe obtinendae facultatis ab hujusmodi arte removeatur (1).

15. Post Baptismi collationem statim Parochus hortetur obstetricem, et Patrinos, ut parentibus nuntient, ne Parentes ipsi, vel nutrix, vel quivis alius, infantem, antequam annum compleverit, in lecto secum detineant sine repagulo, sub peccato gravi, cujus absolutionem nobis reservamus. Hoc quidem mandatum eo spectat, ut parvuli a suffocationis periculo liberentur; quae si contigerit, statim parentes, aut quivis alius tanti criminis reus excommunicationis sententiae (2) subjiciantur.

16. Ceterum fideles moneat Parochus, ut nec ante solis ortum, nec post ejus occasum infantes baptizandos ad Ecclesiam deferant. Cautum etiam jure est, ut, nobis inconsultis, nec in aulis, nec in privatis oratoriis (3), aut domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, ubi sunt fontes ad hoc specialiter destinati, baptizentur infantes. Nec etiam ultra triduum (4) a natali die Baptismus differatur sine nostra venia: hujus vero mandati violatores

---

(1) Benedict. XIV. Inst. 8. n. 4.

(2) Syn. Elisei de Bapt. n. 2.

(3) Clement. unic. de Bapt.

(4) Edictum Romae prom. 1723. — Concili Bituricense 1572 — Concil. Avenion. 1594. — Concil. Parisien. 1673. — Concil. Vasion. 1676.

justa (1) poena multentur. Si autem contingat, ut ex Parochorum negligentia decedat infans sine Baptismo, suspensionem subeant: si vero id ex parentum, aut cujusvis alius culpa acciderit, interdictum ab ingressu Ecclesiae (2) statim incurrant. Sciant enim perditi hominis esse reos (3).

17. Ad portam Ecclesiae principem ac in latere Evangelii positus sit fons baptismatis, vel marmoreus, vel ex alio non fragili nec bibulo (4) lapide, ubi salutaris asservanda est aqua. Conopoeum (5) violacei coloris ita pendeat, ut fontem ipsum circumvestiat. Intus etiam serico ejusdem coloris ornetur. Ejus ostiolum sit sera, clavique, a Parocho custodienda, munitum; nec desint cancelli, qui fontem circum sepire debent. In fontis apice sit imago S. Joannis Baptistae (6), Christum baptizantis. Sit concha duplex, tum ad aquam in Sabato Paschatis, et Pentecostes benedictam, tum ad illam, ex capite Baptizati delapsam, recipiendam, quae in Sacrarium projici debet. Sint in eodem fonte duo vascula Sacrorum oleorum, cum inscriptis cujuscumque Olei nominibus, argentea vel stamnea; nec ibi desit vas mundum, cum al-

---

(1) Syn. Elisei de Bapt. n. 2.
(2) Syn. Elisei de Bapt. n. 2.
(3) Tertull. de Bapt. cap. 17.
(4) Can. Omnis Presbyt. 106. dist. 4. de consecr. — Concil. Herden. 524. sub Joan. I. — Concil. Mediol. IV. tit. de Bapt.
(5) Concil. Med. IV. loc. cit.
(6) Idem Concil. loc. cit.

bo sale benedicto, et cochlear argenteum, aut stamneum, semper nitidum, gossipium, et lintea candida ad caput infantis abstergendum; quae, si a baptizandi parentibus allata fuerint, non adhibeantur, nisi sint nova; ac, si iis utatur Parochus, in usum profanum verti numquam (1) poterunt. Olea autem sacra quotannis sunt renovanda, et in Cathedrali Ecclesia sumenda a Presbytero, vel a Clerico in sacris ordinibus constituto, nec erunt unquam sub gravi poena laici manibus committenda. Olea anni superioris, si supersint, comburantur. Aqua etiam juxta veterem Ecclesiae disciplinam sit ad usum Baptismi non solum in Sabato Paschae, sed etiam in pervigilio Pentecostes benedicenda (2).

18. Parochi denique eam numquam satis laudandam foveant, communemque reddere conentur plurimorum praxim, qui anniversariam, qua baptismum quisque recepit, diem, confessionis et communionis Sacramentis refecti, inter gratiarum actiones, et plurima pietatis exercitia peragere consuescunt. Pulcherrimum etiam foret, ut unusquisque Parochorum, quotannis post Parochialem Missam, die Circumcisionis D. N. J. C. promissiones baptismales una cum populo renovaret. Hortentur etiam puerperas, ut, cum primum conva-

---

(1) Idem Concil. loc. cit.

(2) Siricius Pont. in Ep. ad Himerium — S. Leo Magnus in Ep. 4. et 80. — Gelas. Pont. Epist. 1. — S. Greg. Mag. lib. 1. in Epist. 42. ad Rom. Italiae praefectum.

luerint, ad Paraeciae Ecclesiam sese conferant; ibique pro suscepta prole gratias agentes, juxta Ritualis Romani formulam benedictionem, pro qua (1) nihil omnino Parochus recipiat, assequantur, exemplo Virginis Beatissimae; quae, etsi fuerit a partu salutis sanctificata, quia, ut ait S. Leo, — custodia fuit (2) pudoris, editio veritatis — tamen sese ad templum contulit, offerens Domino hostiam fidei, et gratiarum actiones in filio (3).

CAPUT III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS

—

1. Vita hominis non solum in tentationibus versatur, sed ipsa, tentatio esse vere (4) dicitur; cum perpetua homini sit colluctatio adversus carnem et sanguinem, adversus potestates tenebrarum, contra spiritualia (5) nequitiae. Difficile stare quis posset in bello, nisi novo quodam praesidio muniretur ex alto (6).

2. Hinc Christus Dominus, infirmam hominum

---

(1) Syn. Elisei de Bapt. n. 3.
(2) S. Leo Mag. ser. 1. de Nativ.
(3) Luc. 2. v. 22.
(4) S. Greg. L. 8. moral. cap. 3.
(5) ad Ephes. 6. v. 12.
(6) Luc. 24. v. 49.

miseratus conditionem, voluit, eos, qui, jam per Baptismum vitae gratiam adepti, in ejus erant adscripti militiam, ita confirmationis sacramento roborare ad pugnam, ut perpetuo impendentia superare possent certamina; eosque ita confirmare in fide, ut Nomen sanctum Ejus tum confiteri, tum glorificare non erubescerent. Cum igitur amplissima hoc sacramentum largiatur munera, de eo diligenter pertractemus necesse est.

3. Et primum ex perpetua Ecclesiae Catholicae fide, Synodique (1) Tridentinae definitione, verum et proprium sacramentum est confirmatio. Illius materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat bonae conscientiae; et balsamo, quod odorem significat bonae famae (2).

4. Forma autem sunt Episcopi confirmantis verba, a quo — in fronte, ubi verecundiae sedes est, confirmatus inungitur, et signo crucis signatur, ne Christi nomen (3) confiteri erubescat, et praecipue crucem ejus, quae Judaeis est scandalum, gentibus autem stultitia. — Praeterea Episcopus eum leviter in maxilla caedit, quem Chrismate confirmat, ut sciat homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna et victoria eluceat in patiendis injuriis, non in illis inferendis; dein-

---

(1) *Concil. Trid. sess. 7. de sac. in gen. can. 1. et de confir. can. 1.*

(2) *Concil. Floren. in decreto union. §. 2.*

(3) *Concil. Flor. loc. cit.*

de in Christiana militia constitutum esse (1), in qua non hujus vitae jucunditates et commoda quaerat, sed incommoda potius; atque adeo mala multa patienter ferat; ac praeterea intelligat, officii sui esse, in acie stare, telaque, unde veniant, observare; ita ut, quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque laeduntur, anima tamen nullo pacto offendatur. — Praeterea ex hujus unctionis beneficio, ait S. Cyprianus, sapientia nobis et intellectus divinitus datur; consilium, et fortitudo coelitus illabitur; scientia et pietas et timor inspirationibus supernis (2) infunditur — Sicut enim datus est Apostolis (3) die Pentecostes, sic datur Spiritus Sanctus ad robur.

5. Ex iis, quae hactenus dicta sunt, clare aperteque patet, nemini tam salutare praetermittendum esse sacramentum, praesertim cum omnibus praeceptum inest (4) adultis illud accipiendi, ut veram Christiani nominis amplitudinem assequantur. Hinc gravis peccati reatu adstringuntur, qui, cum accipere hoc possint sacramentum, illud renuunt ac negligunt (5).

6. Character imprimitur tum in suscipiendo Ba-

---

(1) S. Carolus Borromaeus in instit. de sacr. confir. Edit. Mediol. 1519. pag. 508.

(2) S. Cypr. de unction. Chris.

(3) Concil. Flor. in decreto union. §. secundum.

(4) Can. de consec. dist. 5. — S. Thom. q. 3. q. 72. art. 11. ad 3. — S. Bonaventura in 4. sent. sect. 8. art. 3. quaest. 2.

(5) Bened. XIV. Const. Etsi pastoralis — Idem Inst. 6. §. 16. — Can. omnes de consec. distin. 5.

ptismo, tum in recipienda Confirmatione: in Baptismo, ut fideles ab infidelibus distinguantur: in Confirmatione autem, (1) ut sint distincti ab iis, quibus dicitur: sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis (2) in salutem. Hinc cum Baptismus rite collatus impressi characteris gratiâ iterari nequeat, tum ex eadem causa Confirmationis vetatur iteratio (3).

7. Veluti in Baptismo, sic in Confirmatione (4) patrini assumendi sunt. Hoc sacramentum, ait S. Thomas — exhibetur homini ad robur pugnae Spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructione in his, quae pertinent ad conservationem vitae; ita illi, qui sumuntur ad pugnam (5), indigent eruditoribus, a quibus instruantur de iis, quae pertinent ad modum certaminis — Verum quos a patrinorum munere arcendos in Baptismo designavimus, illi omnes ab hujusmodi officio in Confirmatione repelli debent (6). Unus tantum (7) patrinus sit, et diversus a patrino in collatione Baptismi adhibito. Foemina erga foemi-

---

(1) *S. Thom. par. 3. q. 72. art. 5.*

(2) *1. S. Petr. 2. v. 2.*

(3) *Greg. II. in Ep. 3. ad Bonif. cap. 4. — Concil. Cabilon. II. can. 27. Concil. Flor. in decr. — Eug. IV. §. 5. — Concil. Trid. sess. 7. de. sac. in gen. can. 9.*

(4) *Cap. 10. de consec. distin. 4.*

(5) *S. Thom. par. 3. q. 72. art. 10.*

(6) *Concil. Mecliniense II. tit. 4. cap. 2.*

(7) *Can. Non plures 101. de consec. distin. 4.*

nas, mas erga mares (1) hoc munere fungantur; et dum perficitur sacramentum super pueri humerum dexteram manum ponant. Patrini sint jam confirmati, ac aetate majores. Monendi sunt etiam de spirituali, quae hic quoque, ut in Baptismo, contrahitur (2), cognatione, nec non de obligationibus, quibus ipsi tenentur erga eos, quos Episcopo obtulerunt confirmandos.

8. Illud etiam vel maxime curent Parochi, ut Confirmationem suscepturi, si usu pollent rationis, conscientiam sacramento (3) mundent poenitentiae. Si enim ad confirmationis sacramentum accederent lethali culpa inquinati, non dona S. Spiritus, nec gratiae sanctificantis incrementum reciperent, verum sacrilegi fierent.

9. Vehementer optamus, ut jejuni (4), si tempus id sinat, universi confirmationem accipiant. Mares a foeminis sejunctum habeant locum, primique (5) confirmentur. Omnes vero puellulae, et praesertim matrinae decenti, modestoque corporis cultu accedere curent. Si qui vero pueri fuerint ita infirmi, ut in vitae periculo versentur; eos Parochus nobis denuntiet. Pastorali ea, qua de-

(1) *Bened. XIV. Inst. 6. n. 14. — Concil. Cameracen. II. tit. 1. cap. 1.*

(2) *Conc. Trid. sess. 24. de Refor. Matrim. cap. 1.*

(3) *Can. ut jejuni 6. de consec. distin. 5.*

(4) *Can. ut jejuni cit. — Bellarmin. controv. lib. 2. cap. 13. — Bened. XIV. Inst. 6. n. 3. — Syn. Elisei de confir. n. 3.*

(5) *Concil. Mediol. V.*

cet, sollicitudine ad Confirmationem illis conferendam advolabimus, ut, cum majorem obtinuerint gratiam, majorem etiam gloriam consequantur (1) in coelis.

10. Iis, quos idoneos judicaverit Parochus, si septimum aetatis annum (2) excesserint, schedulam tradat, in qua confirmandi, ejusque parentum, patrinorumque nomina et cognomina, Paroeciam, aetatem, patriamque describi praecipimus. Hujusmodi vero schedas postea colligat Parochus in peculiari codice inscribendas; nec non in iis diem, mensem, et annum collatae confirmationis, Episcopique confirmantis nomen adnotare meminerit. Praeterea Parochi, qui testimonium sine nostra venia dederint, ut quisquam e sua Paraecia ab alieno Episcopo confirmationem accipiat, statim incidant in suspensionem. Caveant etiam, ne ex alia Dioecesi aliquem, proprii Episcopi licentia carentem, nobis afferant confirmandum.

11. Candida cuique ex confirmatis sit vitta, quae frontem Chrismate delibutam, et a sacerdote abstersam (3) gossipio, postea comburendo, circumcat: quam Parochus ipse, vel alius sacerdos, sero (4) dissolvat. Cavendum est, ne hujusmodi vit-

---

(1) S. Thom. par. 3. q. 72. art. 2. ad 4.

(2) Concil. Mediol. I. p. 2. — Concil. Turonense cap. 7. — Concil. Camurac. tit. 7. cap. 2. Concil. Tolosan. p. 2. cap. 3. — Catech. Rom. de confir.

(3) Plures Synodi.

(4) Bened. XIV. Inst. 6. n. 17.

ta in profanos convertatur usus; sed potius comburenda est. Nemo autem, nisi functio jam fuerit absoluta, ab Ecclesia discedat (1).

12. Cautum jure est, ne quis, hoc sacramento nondum munitus, primore tonsura (2) Clericus initietur. Hinc etiam tum a sumendo Religionis habitu, tum a nuptiis incundis repellendi sunt, qui confirmationem nondum susceperint.

13. Non praetermittant Parochi, de hujus sacramenti natura, vi, dignitate, rituumque mysteriis ad commissum sibi populum verba facere praesertim, cum ex nostris litteris acceperint, qua die nos erimus confirmationem in eorum paroeciis collaturi. In id etiam incumbant vel maxime, ut Patres matresque familias inflammato pietatis studio ad suos pueros contra potestates tenebrarum hoc sacramento roborandos excitentur. Si qui autem in re tanti ponderis desides sint, aut illud incuria deserant, aut temere contemnant, nos statim certiores reddant.

---

(1) Pontif. Rom. de confirm.

(2) Concil. Trid. sess. 23. de Reform. — Conci-. Rom. tit. 26. cap. 4,

CAPUT IV.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

—

1. Christus Dominus de hoc mundo transiturus ad Patrem (1), cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem diligens eos, divinum instituit Eucharistiae Sacramentum tamquam passionis suae memoriale perenne, figurarum veterum impletivum (2), miraculorum maximum, sacramentorum praestantissimum, tremendum, venerabile, futurae gloriae pignus, et singulare solatium.

2. Nemo est, qui hujus Sacramenti pretium, et dignitatem dicere unquam possit; in quo ipse Sacramentorum auctor continetur, nosque non vitulorum carne, sed ipsius Christi corpore, et sanguine alimur. Nihil quidem est hoc Sacramento salubrius, quod peccata purgat, virtutem auget, mentibusque omnium caelestium praebet charismatum abundantiam. Nec quidquam est illo suavius, per quod coelestis dulcedo in suo fonte (3) gustatur. Tales igitur largitatis divitias Deus per hoc hominibus praebet Sacramentum, ut cum sit om-

(1) *Joan. 13. 1.*
(2) *S. Thom. in Opusc. 57.*
(3) *S. Thom. ibidem — S. Cypr. de caena Domini.*

nipotens, plus dare non potuerit, cum sit sapientissimus, plus dare nesciverit, cum sit ditissimus plus dare non habuerit (1).

3. Singularis profecto est Ecclesiae Catholicae dignitas, quae tam divino cumulata bono, sponsi sui Christi Domini, vivi, praesentisque conjunctione semper gaudet, et ab ipso veluti suo ex capite, innumeros donorum gratiarumque rivulos in sua membra derivare laetatur. Cum autem id sibi peculiare ac proprium habeat sacra Eucharistia, ut scrificium simul, et sacramentum sit: primum nos de Eucharistia ut Sacramento, deinde de ea ut sacrificio pertractemus. In hoc igitur Titulo quomodo Eucharistia asservanda sit; tum de recta illius administratione, et susceptione; tum denique, qua religiosa veneratione coli debeat, dicendum esse, pastoralis muneris nostri ratio exposcit.

4. Unigenitus Dei filius (2) suae Divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines Deos faceret, factus homo; atque inde in sanctissimo Eucharistiae Sacramento factus etiam alimonia coelestis, secum nos conjungit, ac veluti unum corpus coagmentat, et nobiscum perpetuo manet ipse, divinae reconciliationis (3) et protectionis aeternae monumentum. O-

---

(1) S. August. Tract. 48. in Joan.
(2) S. Thom. in Opusc. 54.
(3) S. Ambr. ser. 8.

portet igitur, ut veniamus in conspectum Domini, et adoremus (1) illum in decore sancto. In lege veteri Tabernaculum arcam (2) habebat cum manna coelesti: nostrae habent Ecclesiae tabernaculum (3) cum sanctissima Eucharistia; quam Ecclesia primitus vel in turricula, vel in aurea, aut argentea (4) columba in medio altari ex alto pendula sub titulo Crucis custodire consuevit.

5. Cathedralis, omnesque collegiales, et Parochiales Ecclesiae, quamvis pauperes sint, Regularium etiam, et Monialium (5), nec aliae, nisi pontificio (6) fruantur indulto, augustissimam semper asservare tenentur Eucharistiam.

6. Tabernaculum, ubi venerabile recondi debet Sacramentum, sit in altari principe, tamquam digniori, Cathedrali tamen Ecclesia, ac collegialibus exceptis. Hujusmodi Tabernaculum, sive ligneum, sive marmoreum sit, eo surgat laboratum (7) artificio, atque ornatum, ut ne quid vile, aut abjectum praeseferat. Conopeo congrui coloris pro diversa temporum ratione contegatur. Intus

---

(1) *I. Paralip. 16. v. 29.*
(2) *ad Hebr. cap. 9. v. 3.*
(3) *Concil. Tur. Can. 3. — Baron. ad an. 57. n. 154.*
(4) *Amphilochius in vita S. Basilii.*
(5) *Can. Presbiter 93. de consecr. dist. 2. — cap. Sane de celebr. miss. — Concil. Trid. sess. 13. cap. 6.*
(6) *S. C. Episc. 22. Febr. 1593. — Bened. XIV. Cons. quamvis justo 30. Apr. 1748.*
(7) *Caput. Sane — Concil. Mediol. IV. p. 2. tit. de Euchar. Concil. Aquen. tempore Xisti V. tit. de Euchar.*

albo panno serico circumvestiatur, ejusque planitiem (1) nitidissimum tegat Corporale, omni bimestri tempore mutandum. Tabernaculi ostiolum, cujus anterior pars aliquod exhibeat Symbolum Eucaristicum, firmissima sit sera, ac clavi argentea, (2) deuratave (3) munitum. Clavis autem nec ipso in ostiolo, nec super altare, nec in sacrario pensilis, obvio omnibus loco, relinquatur (4) sed diligenter sit per Ecclesiae Rectorem (5) custodienda; qui, si in rem tanti momenti peccaverit, poenas jure statutas luet (6).

7. Nec intra Tabernaculum (7) aliquid, quamtumvis sacrum, praeter Eucharistiam asservetur, nec supra, nec ante illud erigantur Statuae, Imagines, et Reliquiae (8) sanctorum: nec etiam ante Tabernaculi ostiolum florum (9) vas, aut aliquid ornatus gratia collocetur.

8. Pyxides pro sacris particulis custodiendis, saltem quoad cuppam, sint argenteae, intrinsecus

---

(1) Cap. Reliqui 2. de Custod. Euchar.
(2) Syn. Elisei.
(3) Concil. Lat. can. 20. de Custod. Euchar.
(4) Plures Synodi.
(5) Cap. statuimus de Cust. Euchar. — Concil. Onomen. can. 16. — Concil. Rav. III. — S. C. C. 22. Febr. 1593. — S. C. Epis. in Valisoletana 12. Jun. 1604.
(6) S. C. Epis. de man. Bened. XIV.
(7) Act. Mediolan. pag. 100.
(8) Sac. Congr. 3. Martii 1593. — Conc. Mul. IV. p. 2. tit. de Euchar. plures Synodi.
(9) S. C. C. in Camaldulen. montis Coronae 22. Jan. 1701.

auro illitae (1), et conopoeolo serico albi coloris contectae. Quarum saltem duae (2) sint cuique Parochiali Ecclesiae, una exigua, qua ad deferendum (3) viaticum; altera grandior, qua ad particulas custodiendas, populoque communicaturo ministrandas Parochus utatur. Nec desit etiam alia perparvula (4) Pyxidula, qua serico inclusa locello, colloque appendenda Sacerdotis, Viaticum ad ruricolas deferatur. Nec quaevis parochialis Ecclesia careat Ostensorio pro Ecclesiae facultate argenteo, aut ex alio metallo deaurato, hinc inde, ubi sacra locatur hostia, Crystallis clauso, cui non desit parva lunula ex argento deaurato ad Eucharistiam suffulciendam: nec careat urnula sepulcrali, statis benedicta precibus, ubi Christi corpus recondatur feria V. majoris Hebdomadae, cujus Urnulae clavis nec laico, nec ipsis (5) monialibus custodienda tradatur. Aliae autem eo tempore sacrae particulae, pro Viatico infirmis administrando, remotiore (6) decentique Ecclesiae reponantur in loco.

9. Coram antiquae legis Sanctuario septem lu-

---

(1) Plures Synodi.

(2) Synd. Balneoregien. Elisei, et aliae

(3) Cap. Presb. 93. — Concil. Tur. II. cap. 4. — Concil. Colon. II. p. 7.

(4) Synodus Elisei.

(5) S. R. C. 22. Novemb. 1631. — 15. Decemb. 1632. — 15. Sept. 1642. — 21. April. 1668. — 11. Decemb. 1746. — S. C. Ep. in Vallisoletan. 12. Jan. 1604.

(6) Gavant. Rubr. Miss. part. 4. Tit. 9. v. 23.

cernae (1) perpetuo ardebant: eo magis ante Tabernaculum, ubi, veluti in throno gratiae, manet Christus, qui est candor lucis (2) aeternae, luminare collucere diu noctuque debet. Curent igitur Parochi, ut ante augustissimum Sacramentum una saltem lampas (3) tum die, tum nocte accensa dependeat, quae, si non casu, sed ex negligentia restinguatur; qui eam custodire tenetur, is pro modo culpae poena multetur.

10. Sacrae praeterea particulae hiberno tempore bis in mense, aestivo autem singulis sunt Hebdomadis (4) renovandae; et id etiam intelligendum est de hostia majore, quam quidem non in Sphaera, nec in Pyxide, sed in capsula argentea, deuratave custodiri mandamus.

11. Nunc de hujus Sacramenti administratione, et susceptione aliquid attingendum ducimus. Et quoad administrationem, ad solos Sacerdotes, veste talari, superpelliceo, et stola albi coloris, aut congruentis officio illius diei indutos, pertinet Eucharistiae fidelibus ministrandae munus obire. Tridentina enim Synodus voluit, ut hujusmodi consuetudo, tamquam ab Apostolica traditione profe-

---

(1) Exod. 25. 37.

(2) Sapien. 7. v. 26.

(3) Cap. Sane de Celebr. Missa — Synod. Elisei.

(4) Innoc. IV. Const. sub Catholicae 6. Mart. 1254. — Clem. VIII. Const. sanctissima 31. Aug. 1591. — Bened. XIV. Const. etsi pastoralis 6. Maj. 1742. — Synodus Elisei.

cta (1), retineretur in Ecclesia. Nam Christus suum corpus Apostolis manu sua dedit, atque hoc munus comitti voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant et dent caeteris. Quidquid autem de hujus Sacramenti administratione in Rituali Romano praescribitur, servandum est vel diligentissime.

12. Locus, ubi licet Eucharistica administratio, sunt Ecclesiae solummodo, et Oratoria publica. Hinc caveant Sacerdotes celebrantes, ne cuiquam etiam aegroto, nisi Apostolicum indultum, aut nostra accesserit venia (2), hoc sacramentum in privatis Oratoriis administrent. Ipsa etiam nocte Nativitatis Domini Eucharistiae administratio interdicta est (3).

13. Non dandum Sanctum Canibus, Christus Dominus praecepit; nec mittendas ante (4) porcos margaritas. Quare Sacerdos ab Eucharistica mensa repellat publice excommunicatos, interdictos, Haereticos, Blasphemos (5), Sortilegos, aliosque publice sceleris infamia notatos, nisi de eorum poenitentia et emendatione constiterit. Non parva enim, ait Chrysostomus, Sacerdotibus imminet poe-

---

(1) Concil. Trid. sess. 13. cap. 8.

(2) Bened. XIV. Encyl. magno cum animi nostri. 2. Jun. 1751. Et Const. Certiores Effecti.

(3) S. R. C. 7. Decemb. 1641. — 9. Aug. 1653. — 20. April. 1664. — S. C. Vis. Apost. 7. Decemb. 1703.

(4) Matth. 7. v. 6. et Marc. 7. v. 27.

(5) Concil. Tolet. 1. can. 17. — Concil. Raven. 11. cap. 5. — Concil. Mediol. 1. p. 2. Tit. de Euchar.

na, si, quem aliqua improbitate teneri sciunt; ei hujus mensae (1) participationem permittant. Manifesti autem, et notorii peccatores, ait S. Thomas, dicuntur ii, quorum (2) peccata noscuntur aut per Judicis sententiam, aut per propriam Confessionem in judicio factam, aut per evidentiam facti, quae nulla possit tergiversatione celari. Deneganda est etiam sacramentalis communio amentibus, nisi sanitatis habeant intervalla, atque aegrotis, quoties ex medicorum sententia adsit irreverentiae periculum.

14. Ad hujus Sacramenti susceptionem quod attinet, Confessarii, Concionatores, et praesertim Parochi in id potissimum incumbant, ut fideles summa fidei constantia, animique pietate augustissimum hoc Sacramentum vel saepissime percipiant. Explicent amplissima gratiarum (3) munera, quibus divites efficiuntur, qui saepe nutriantur omnium Auctore gratiarum. Ea, qua poterunt, ratione excitent in omnibus desiderium erga hoc frumentum electorum, et vinum germinans (4) virgines. Cum Clerici omnes exemplo fidelibus praeeant, necesse sit; hinc qui sunt in minoribus bis in mense et festis solemnioribus; qui sunt in ma-

---

(1) *S. Joan. Chrys. homel. 83. in Matth.*

(2) *S. Thomas 3. part. quaest. 81. art. 2. — Bened. XIV. in Encyc. ad Cler. Gallic. 16. Octob. 1756. — De Synod. Dioec. lib. 7. cap. 11. num. 4.*

(3) *Concil. Trid. sess. 13. cap. 2.*

(4) *Zaccar. cap. 9. v. 17.*

joribus constituti, singulis Diebus Dominicis ad mensam accedant Eucharisticam (1).

15. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis (2) vitam in vobis. Praeceptum igitur divinum fideles urget ad hoc sacramentum, et quidem non semel in vita suscipiendum. Primis Ecclesiae temporibus quotidie (3) sese Eucharistica dape reficiebant fideles: remisso autem primaevo charitatis ardore, ter quotannis, die Nativitatis Domini, Resurrectionis et Pentecostes fideles Eucharistiam ex praecepto (4) sumere tenebantur. Deinde sancitum est, ut omnis utriusque sexus fidelis, post quam ad annos discretionis pervenisset, susciperet reverenter ad minus in Paschate Eucharistiae Sacramentum (5).

16. Quare Paschalem communionem quisque in propria Parochiali (6) Ecclesia sumere ex praecepto tenetur intra quindecim dies, a dominica Palmarum (7) usque ad diem dominicam in Albis inclusive. Vagis autem, peregrinis, atque advenis in Civitate Cathedralis Ecclesia; in Dioecesi Ec-

---

(1) Concil. Trid. sess. 23. c. 11. de Ref.— Concil. Rom. tit. 16. c. 5.
(2) S. Joan. c. 6. v. 54.
(3) Anacl. Papa in cap. peracta — S. Justin. In Apologia 1. — S. Cypr. in Expos. Orat. domin. — S. Hieron. Epist. de rebus Eccles. cap. 20. — S. Thom. p. 3. q. 80. art. 10.
(4) Decr. S. Fabian. Papae — Concil. Agath. a. 506. can. 18.
(5) Concil. Lateran. sub Innoc. III. — Eug. IV. constit. Fide digna — Concil. Trid. sess. 13. can. 9. — Concil. Narb. 1501. can. 30.
(6) Bened. XIV. const. 18. num. 11.
(7) Eug. IV. in const. cit.

clesia major pro paschali sumenda communione designatur. Omnibus Ecclesiis, etiam Regularium, praeter parochiales, fidelibus die Paschatis praebere communionem etiam devotionis gratia (1) interdictum est.

17. Nonnulli sunt, qui diligunt malitiam super benignitatem (2), suaeque salutis immemores perfido ingratoque animo omnem in id collocant versutiam; ut Ecclesiasticum sumendae paschalis Communionis fallant praeceptum. Hinc Parochus tum de obligatione accedendi intra quindenam Paschalem ad mensam Eucharisticam, tum de poenis gravissimis, quas in hujus praecepti violatores decrevit Ecclesia, ad populum pluries in quadragesima verba faciat; eumque moneat, ut non satis Ecclesiae faciat praecepto (3) miser ille sacrilegus, qui indigne de Eucharistico pane edere non dubitat. Deinde ante diem Dominicam Palmarum, Parochi singulis, qui ad Paschale Agni convivium accedere tenentur, schedulam tradat, sibi ab iis reddendam postea, quam Eucharistiam in propria Parochiali Ecclesia intra quindenam acceperint.

18. Si quos Parochus ex collectis post diem dominicam in Albis, schedulis, deprachendat, qui

---

(1) S. C. C. in Burdigalen. 9. Jun. 1644. — In Senonen. 11. Jun. 1650. — In Meclin. 31. Jan. 1682. — Bened. XIV. Encyc. 18. §. 22. — Clem. I. de privil. — Pius V. const. 41. — Conc. Turon. 1588. tit. 15. §. ut autem.

(2) Psal. 51. v. 3.

(3) Prop. 55. inter damnat. ab Innoc. XI.

nesciverint (1) Sacramenta Dei, Ecclesiaeque praecepto obtemperare neglexerint; Nihil relinquat intentatum, ut illos misere errantes a perditionis semita avocet. Contumaces semel et iterum in charitate Dei, et (2) patientia Christi ad aurem hortetur, suaviter moneat, et maxime curet, ut illi ipsi, sponte sua, ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedere postulent. Si vero hortationes neglexerint, obstinatoque maneant animo; Parochus dominica tertia, quarta et quinta post Pascha inter Missarum solemnia, hujusmodi contumaces generatim admoneat, ut Ecclesiae praecepto obsequi haud diu cunctentur. Si nihil profecerit, post diem octavam Pentecostes, illorum nomina ad nos deferat, ut gravissimas ab eis poenas, servato juris ordine (3), repetamus. Intra quindenam autem paschalem tum aegrotis in lecto decumbentibus, tum in carcere detentis sacra Eucharistia deferenda est (4).

19. At non semel in anno, sed saepe Eucharistica iteranda est communio, a qua spiritualis animarum profectus pendet vel maxime: unde frequenter, sicut novellae olivarum, Ecclesiae filii sint in circuitu (5) mensae Domini. Frequentem vero ad sacram alimoniam percipiendam accessum,

---

(1) *Sapien. 2. v. 21.*
(2) *ad Roman. 10. v. 2.*
(3) *Cap. Omnis utriusque sexus de Poenit. et remis.*
(4) *Concil. Mediol. V. p. 2. tit. de Euchar. §. quamobrem.*
(5) *Ecclesia in Antiph.*

confessariorum, secreta cordium explorantium, judicio relinquimus; qui, ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu, quod prospicient fidelium saluti profuturum, id illis praescribere debebunt. — Nemo autem a sacro convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur. — Sed Confessarii curent, ut unusquisque digne pro devotionis, et praeparationis modo, rarius, aut crebrius dominici corporis suavitatem degustet (1).

20. At quid de Sacramentali puerorum communione? Quingentis fere abhinc annis obsolevit vetus illa Ecclesiae disciplina, quae infantibus statim post Baptismum, puerisque, perinde ac adultis, divinum hunc ministrare cibum (2) sinebat. Inde decretum fuit, ut iis tantummodo esset sacra Eucharistia sumenda fidelibus, qui ad annos discretionis (3) pervenissent. Parochorum autem conscientiae ac prudentiae relinquitur, diligenter perpendere, quis ex pueris et quae ex puellulis eo sit rationis usu, ut vim hujus intelligat sacramenti. Cum vero alii ex pueris citius, alii serius, ad hanc necessariam judicii maturitatem, atque ad eam, quae requiritur, doctrinam perveniant, hanc

---

(1) Decretum S. C. C. circa communionem quotidianam 12. Febr. 1679.

(2) S. Cypr. in tract. de Lapsis — Auctor const. Apost. lib. 8. cap. 12. et 13. — Dionis. de Eccles. — Hier. cap. 2. et 7. — S. Aug. ser. 8. de verb. Apost. et Epist. 106. ad Bonifac.

(3) Inn. XIII. in cap. Omnis utriusque sexus.

generatim regulam Parochis retinendam esse, putamus, nec ante annum aetatis decimum permittendam, nec ultra decimum quartum (1) protrahendam esse primam sacramentalem communionem, nisi aliqua intercesserit ratio, quae ab hujusmodi regula eximat.

21. Caeterum, Parochus postquam pueros et puellas, ut in titulo de doctrina Christiana jam diximus, diligenter erudierit, quid de sanctissima Eucharistia credendum sit, et qua reverentia, et qua pietate ad eam sumendam accedere quisque debeat; stata die, pueros jam probatos, et peccata confessos, religiosa quadam solemnique pompa, coelesti dape reficiat. Pueris etiam graviter aegrotantibus, quamvis nondum fuerint ad sacram communionem admissi, Corporis Christi viaticum praebeat Parochus, si diligenti praemisso examine, eos compererit tanta ingenii perspicacia pollere, ut latentem sub speciebus sacramentalibus Christum et firmiter credant, et reverenter adorent (2).

22. Fidelibus, in extremo vitae discrimine constitutis, sacramentalis praebenda (3) est communio, ut ipsi hac caelesti dape refecti cum antiquo serpente acrius pugnare valeant; et, dum ingrediuntur viam universae carnis, in fortitudine cibi illius confringant hostium conatus, et tuto con-

---

(1) plures Synod.

(2) Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 7. cap. 12. n. 3.

(3) Concil. Nic. can. 13. — Arelaten. 11. 12. — Carthag. IV. can. 77. 78.

scendant (1) montem Dei. Hinc Parochi aegrotos graviter decumbentes saepissime adeant, etiam non vocati; eosque suavibus, ac efficacibus verbis moneant, ut, mundata a peccatis anima, ad sese Angelorum esca recreandos sint paratiores. Infirmis Parochus Viaticum tempestive ministret; ne ingravescens morbus, aut inopina mors ab eo sumendo praepediat; aut ipsis, rationis sensuumque usu fere destitutis, illud ministrare cogatur. Ne majori praeterea precantium concursu priventur aegroti; nisi quod intercesserit impedimentum, Viaticum publice, id est, solemni pompa deferatur (2).

23. Ex vetere Ecclesiae disciplina Eucharistia a jejunis (3) sumenda est. Qui sacrum igitur hunc, coelestemque cibum accipiunt, ne quid biberint, ne quid manducaverint, oportet; a dimidia praecedentis diei nocte usque ad sacramentalem communionem. Contrariam consuetudinem apostolicae adversari traditioni (4) concilia, sanctique Patres confirmant. Ægroti vero ab hac lege solvuntur,

---

(1) 3. Reg. 19. v. 8.

(2) plures Synodi.

(3) Tertull. lib. 2. ad Ux. cap. 5. — Cyprian. Epist. 67. — S. Basil. Hom. 1. de jejun. — S. Joan. Chrys. Hom. 27. in Epist. 1. ad Cor. — S. Greg. Naz. Orat. 40. — S. Aug. Epist. 118. — S. Isid. lib. 1. de Offic. — Eccl. cap. 18. can. liquido 54. de consec. dist. 2.

(4) Concil. Carthag. 712. can. 41. — Trullan. can. 29. — Matiscon. II. can. 9. — Bracharen. I. can. 16. et 11. can. 10.

quibus etiam non jejunis Viaticum (1) praeberi licite potest. Parochus autem ipse, cujus de manu Dominus requiret (2) gregem suum, aut, si quo ipse detineatur impedimento, alius Sacerdos ab eo constitutus, qui sit, si fieri potest, ex approbatis ad confessiones audiendas, Viaticum ad infirmos deferat. Hujusmodi munus non sibi arroget ullus Sacerdos, qui, si Regularis sit (3), excommunicationem incurrit summo Pontifici reservatam. Praeterea hac infirmos caelesti dape refici volumus in solemnioribus etiam festis (4) Natalis Domini, Pentecostes, Corporis Christi, Assumctionis B. M. V. atque omnium Sanctorum, aut intra illarum octavam. Verum cum sacra Eucharistia non per modum Viatici ministretur, tunc infirmis, nisi jejuni sint, non praebenda sacra est communio.

24. Neque noctu, neque feria VI. in Parasceve Viaticum deferatur, nisi urgeat necessitas. Quod si noctu deducatur, maneant domi mulieres, et pro communicando dominum deprecentur. Si vero feria VI. in Parasceve deduci viaticum debeat, Parochus non aere campano, sed ea ratione, quae tunc est in more, populum colliget, psalmos submissa dicet voce, nec in fine populo cum pyxide benedicat (5).

---

(1) Concil. Constansiense sess. 13.
(2) Ezech. 34. v. 10.
(3) Clement. I. de privileg.
(4) plures Synodi.
(5) S. R. C. 15. Maji 1745.

25. In Viatico deferendo secum ipse recogitet Sacerdos, se gestare Deum, cujus ante solium Angeli, et seniores cadunt in facies suas (1) adorantes eum. Incedat propterea detecto capite, pileolo etiam posito (2), nisi id sedes Apostolica suo permiserit indulto. Id etiam a nobis, si justa intercedat causa, concedi potest, tantum cum extra civitatem et oppida viaticum feratur (3).

26. Caeterum, ne desit nitor, comitatus, et cultus, quem hujus Sacramenti dignitas requirit: quidquid in deferendo viatico a Rituali Romano praescribitur, servetur vel diligentissime. Quoniam vero ad majorem cultum splendoremque Eucharistiae plurimum conferat sanctissimi Sacramenti (4) societas, in iis hoc sodalitium erigatur Paroeciis, ubi nondum sit constitutum. Hujusmodi societates foveant Parochi; et, ne dissolvantur, diligenter curent. Hinc si contingat, ut illi, qui his sodalitatibus nomen dederunt, ab antiqua pietate desciverint, eos excitent vel maxime, ut relictam rursus ineant viam, atque ea, qua decet, alacritate percurrant.

27. Quoniam vero illum eumdem Deum praesentem (5) in hoc Sacramento adesse credimus,

---

(1) Apocal. 4. v. 10.

(2) S. R. C. in Januen. 13. Aug. 1695.

(3) S. R. C. in Treviren. 10. Jan. 1693.

(4) Paul. III. in sua const. quae extat in Bullar. Roman. const. 12. lib. 10.

(5) Concil. Trid. sess. 13. cap. 5.

quem adorant omnes Angeli Dei; quem Magi in praesepe, quem Apostoli in Galilaea adoraverunt; Fideles idcirco, pro more in Ecclesia catholica semper recepto, Latriae cultum, qui vero Deo debetur, sacrae Eucharistiae perpetuo exhibuerunt. Mos etiam invaluit, ut augustissimum sacramentum aliquando omnium adorationi exponatur duplici caerimonia, vel publica, vel privata. Vocatur publica, cum sacra Hostia in Ostensorio reposita, super eminentiorem altaris locum ita locatur, ut ea omnibus conspicienda exhibeatur. Privata autem dicitur, cum in aperto Tabernaculi ostiolo Pyxis, Eucharistiam continens, clausa, suoque velata conopoeo ante fidelium oculos ponatur (1).

28. In privata hujus Sacramenti expositione mandat sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, ut Eucharistia e tabernaculo numquam extrahatur, sed in Pyxide velata, in aperto ejusdem Tabernaculi Ostiolo, cum assistentia alicujus Sacerdotis, stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminaribus cereis (2) collocetur, Ecclesiarum Rectores meminerint, nec ad restinguendum incendium, nec ad repellandas tempestates, nec ad aeri et adstantibus benedicendum licere, Eucharistiam e Tabernaculo (3) educere; sed eam tantumodo, cum hae gravissimae advenerint cala-

---

(1) Bened. XIV. Inst. c. 30. n. 16.
(2) S. C. Epis. 9. Decemb. 1602.
(3) Bened. XIV. in ep. ad Card. Urbis Vicar. 27. 1755.

mitates, reserato Tabernaculi ostiolo, in Pyxide clausam, venerari (1).

29. Ad publicas, quod attinet, expositiones edicimus, ut, praeter eas, quae in Civitate et Dioecesi sunt in more, nulla alia, etiam in Ecclesiis Regularium, instituatur expositio, nisi prius a nobis in scriptis facta fuerit facultas (2).

30. Cum praeterea publica, et solemnis augustissimi Sacramenti peragatur expositio; omnia, quae Rituale Romanum praescribit, et summi Pontifices, sacraeque Congregationes hac super re decreverunt, serventur quam diligentissime. Sit altare splendido nitidoque ornatum apparatu: duodeviginti saltem cereae faces colluceant. Si vero diuturna sit expositio, et praesertim in adoratione per horas quadraginta, tum in altari principe adoranda ponatur Eucharistia. Velentur, si quae sunt sacrae Imagines; Sanctorumque amoveantur Reliquiae. Tunc temporis nemo perlitet nigro apparatu; sed Missae, quae celebrantur, sint vel votivae vel de Sacramento, si id ritus ferat; vel sint de festo die; quibus addenda est Oratio de sanctissimo Sacramento, nisi solemnitas primae et secundae classis id vetet. Cum Sacerdotes ad altare prodeant celebraturi, sacrarii campanula det signum, quod ad hostiae calicisque elevatione tintinnabulo

---

(1) Bened. XIV. ibidem.

(2) S. C. C. In Neapolit. 17. Aug. 1630. — S. C. Epis. in Cajetana 25. Octob. et 10. Decemb. 1602. — S. R. C. in Firmana 22. Jun. 1701.

non dabitur. Concionem, tecto capite, et sine nostra venia habeat nemo. Ne quis stipem cogens templum circumeat. Unus saltem adsit sacerdos, superpelliceo, et stola, etsi regularis sit, indutus, vel clericus cum superpelliceo, qui genibus advolutus, imo in gradu, ante altare perpetuo adoret. Bini, vel quaterni ex sodalitio aliquo, ipsiusque sodalitii veste amicti, extra presbyterium si poterit, eo alterni munere fungantur. Praeterea quidquid pro Oratione per horas quadraginta jussit Clemens XII. in suo Urbis edicto, quod tradimus in appendice, diligenter servetur (1).

31. Caeterum Parochi Dominica sanctissimae Trinitatis populum moneant de pie, et religiose celebrando corporis Christi festo. Sancta enim Mater Ecclesia illud institutum voluit, ut contumeliae, quas sanctissimae Eucharistiae impii perditique homines non raro irrogant, peculiari quadam ratione, publico cultu solemnique veneratione rependerentur. Ad supplicationem quod attinet, in hoc festo peragendam, in titulo de processionibus verba faciemus.

32. Populum denique hortentur Parochi, ut in adversis arctisque rebus, in periculis, in quavis impendente necessitate, ad augustissimum Eucharistiae Sacramentum, omnium gratiarum fontem, confugiant. Animos excitent fidelium ad hac cae-

(1) *Vide Append. N.*

lesti saepe fruendum dape, quae virtute sua edentes quidem immortales, et incorruptibiles facit (1) in societate Sanctorum. Dominus etiam sacram instituit Eucharistiam , ut quia nos quotidie peccamus, et ille jam mori non potest, per istud Sacramentum (2) corporis sui peccatorum remissionem consequamur.

33. Cum autem in tanta hujus temporis iniquitate, in tanta vitiorum foeditate, et colluvie, magna pars hominum recedat a via salutis, multorumque Charitas refrigescat; saltem sub vesperam fideles, quotquot eunt dies, haud pigeat ad sanctissimum sacramentum accedere in spiritu et veritate adorandum atque obsecrandum, ut benignissimus Dominus illuminet caecos; errantes reducat, pacem Ecclesiae ac societati largiatur; flagella, quae pro peccatis meremur avertat; ac uberiori divinae gratiae praesidio nos praeveniat, et paratiores efficiat ad praelianda praelia Dei, atque ad nos, populosque roborandos in fide.

---

(1) S. August. Tract. 26. in Joan. c. 18. v. 10. 21.
(2) S. Greg. Papa in cap. quid sit Sang. 73. distin. 2. de consec.

CAPUT V.

DE SACRIFICIO MISSAE.

—

1. Omnibus jam deletis veteris Testamenti Sacrificiis, quae immolabantur in umbra futuri (1); figuris omnibus jam depulsis, novo oblationis genere succedente; ipsi Deo placuit, sese facere hostiam ad destitutionem peccati (2), cum in plenitudine temporum, quam naturam pro nobis accepit, eam Christus pro nobis obtulit in ara Crucis, victima simul et Sacerdos factus. Cum Sacerdotium numquam moriturum instituisset Christus; hinc in coena novissima, ad suam recolendam in Cruce immolationem, memoriamque aeternandam, et ad ea, quae quotidie perpetrantur, delenda peccata (3), Ecclesiae reliquit sacrificium de Corpore et Sanguine suo, sub specie panis et vini peragendum. Quod quidem Apostolis, Novi Testamenti Sacerdotibus, eorumque successoribus, ut sumerent et offerrent, praecepit his verbis — Hoc facite in meam commemorationem (4).

2. In Domino igitur laetandum Sacerdotibus est, cum ipsi, et non Angeli, ad hostiam hanc divi-

---

(1) S. Aug. de Civit. Dei. lib. 17. c. 20.
(2) ad Hebr. 9. v. 26.
(3) Concil. Trid. sess. 22. de Sac. Missae. cap. 1.
(4) Luc. 22. 19.

nam pro communi omnium salute Deo Patri offerendam vocati sint. At ut sancte, pie, caste, et attencte ad tantum accedant Sacrificium; secum ipsi recogitent Sacerdotes, nullum aliud opus adeo sanctum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc tremendum Mysterium (1); nihilque Ecclesiae pulchrius esse, nihil majus, ac nihil magis salutare, quam hoc frumentum Electorum, et vinum germinans (2) Virgines.

3. Quid enim eo pulchrius erit unquam, cum sit memoriale totius dilectionis, et quasi compendium quoddam (3) beneficiorum Christi? Nec quid majus inveniri fas est, cum in Missae sacrificio una eademque sit hostia, idem nunc offerens Sacerdotis ministerio, qui seipsum in Cruce obtulit, sola (4) ratione offerendi diversa. Nec quid magis salutare habet Ecclesia, cum in qualibet Missa inveniatur omnis fructus, quem Christus operatus est in Cruce: — quidquid est effectus dominicae Passionis, est effectus (5) hujus Sacrificii — Tantum enim valet celebratio Missae, quantum valet mors Christi in Cruce (6).

4. Ut igitur ea, qua decet, pietate ac timore, ad tam tremendi celebrationem Mysterii Sacerdotes

---

(1) *Conc. Trid. sess. 22. Decret. de observ. in Cel.*
(2) *Zacch. 9. 17.*
(3) *Sanct. Bonav. de Instit. part. 1. c. 11.*
(4) *Conc. Trid. 22. cap. 2.*
(5) *S. Thom. in cap. 6. Isa. lect. 6.*
(6) *Chrysost. Discip. ser. 48.*

accedant; haec quae sequuntur, de Sacrificio Missae dicenda statuimus.

5. Secum ipse Sacerdos quam saepissime cogitatione verset, quae et quanta sit muneris sui ratio, et qua virtutum copia, qua morum integritate, qua vitae sanctitate et affulgere, et praeire, atque inter omnes debeat eminere. Sacerdotes igitur hortamur in Domino, ut ad suum quisque munus, sanctitatis plenum, ea, qua decet, charitate et veneratione obeundum accedant; atque ab iis, quae Mysterium hoc augustissimum deturpant, cavere prorsus innitantur. — Si enim omne crimen, oblatis Deo Sacrificiis, deletur; quid de caetero pro delictorum expiatione Domino dabitur (1), quando in ipsa Sacrificii oblatione peccatur? — Manibus puri, mundique corde, Matutino cum Laudibus persoluto (2), mentalique (3) oratione, aliisque de more precibus roborati, animo ad divina erecto inflammatoque ad altare accedant.

6. Hinc in sacrario sit locus, ubi tabella precum dependeat pro tacita Sacerdotis, ante et post Missam facienda oratione, quae saltem sit horae circa quadrantem. Sacris Sacerdos vestibus indutus, cum aliquo colloquia non misceat: Laicos autem et Sacerdotes inter se nugari, elataque fa-

(1) *Can. cum omne. 7. de Consecr. dist. 1.*

(2) *Vide titulum de Horis Canonicis.*

(3) *Vide S. Alphon. de Liguorio in opuscolo de Sacrif. Missae.*

tari voce in Sacrariis, nec non viros, et praesertim mulieres altaria propius circumstare, vetamus.

7. Cum enim nihil operis in Ecclesia sit majus, quam Missae celebratio; hinc nihil erit negligendum, ut nitido, quo decet, apparatu Missa celebretur. Idcirco sacrae vestes, et ea singula, quae ad Sacrificium pertinent, integra, nec scissa sint, nec in aliis, quam in sacris, usibus adhibeantur; nec nisi (1) ab Ecclesiasticis ferantur viris, ne ea, quam Balthassar rex subiit, ultione plectantur profani. Quae autem vetustate exesa sunt, vel in sacros alios vertantur usus, vel comburantur; eorumque cineres habeat Sacrarium, ne dispersi ab ambulantibus conculcentur. Corporalia et Pallae oblinantur amylo, Purificatoria non nimis exigua, ac mundissima sint: quae, si sordida fuerint, priusquam purgatrici tradantur, laventur a Subdiacono, vel a Sacerdote, et aqua in Sacrarium inferatur. E linea tela (2) sit omnis in rem divinam adhibenda suppellex. Calices autem, Patena, Pyxides, Lunulae, ac alia vasa, quae ad Eucharistiam adhibentur, ea quidem parte, qua Christi continent Corpus et Sanguinem (3), vel aurea sint, vel auro lita, Calicisque crater sit argenteus. Nemini liceat iis uti vasis, indumentis, ac aliis,

(1) *Can. vestimenta 42. de Consacr. dist. 1.*

(2) *Decretum generale S. C. R.*

(3) *Conc. Triburien. can. 18. — Conc. Rhemens. can. 6.— can. vasa 44. et can. ut Calix 45. de Consac. dist. 1. — S. Petrus Damian. opusc. 23. cap. 1.*

quae sunt sacris addicta, antequam a nobis legitimo consecrentur ac benedicantur ritu. Consecratio ab Episcopo tantum, Benedictio etiam ab iis, quibus est delegata facultas, confici potest. Altaris quoque suppellex munditie niteat; nihil in eo sit sordidum (1), nihil maculosum, nihil quod indecoram praeseferat negligentiam.

8. Si vero haec, quae ad hujus Sacrificii apparatum spectant, sint tanto studio animadvertenda; quid dicendum est de ea, quam circa ejusdem materiam adhibere debeamus, diligentia? Hostiae itaque ex optimo frumento, et naturali aqua conficiantur: Sint tenues, candidae, recentes, orbiculatae, quae Imaginem Christi a Cruce pendentis satis expressam referant. Itidem vinum sit (2) purum (3), et tale, ut literis nostris die 28. Septembris 1854. datis praescripsimus, non acescens, nec ullo mutatum vitio. Nunquam autem sine duabus accensis cerae albae candelis Missa celebretur. Adsit Sacerdoti Sacrificanti Minister, quem Clericum semper esse deceret (4). Saltem pueri sordidi, nimiumque rudes, omnesque, quibus aliqua turpitudinis nota inusta est, aut infamiae dedecus inhaeret, ab hujusmodi officio arceantur.

---

(1) Leo IV. Hom. de cur. Past. Inn. III. in Conc. Later. IV. can. 19. et in cap. Reliqui de cust. Eccl.

(2) Rub. Missal. de defectu vini.

(3) 28. Settembre 1854. Lettere nostre.

(4) Leo IV. Hom. de cur. Past. — Conc. Mogunt. IV. can. 54. — Conc. Colon. II. p. 2. can. 28.

Binis aut pluribus uti ministris non licet, nisi Sacerdoti, cui facta sit ab Apostolica sede facultas. Sacerdos itaque, sacrum facturus, vultum totumque corpus ad modestiam componat: Ritus sacrasque Caeremonias ea, qua par est, gravitate, nec quid (1) addendo, nec quid auferendo, perficiat. Non solum cum integra verborum pronuntiatione, sed cum interiore animi pietate, gravique Mysterii commentatione omnia, quae agit, aut profert, socianda curet. Sic populi pietas et fides, exemplo tam pulcherrimo excitata, augebitur in dies. Ut autem Sacerdos nimia festinatione scandalum haud praebeat, id temporis in Missae celebratione insumat, quod tertiae horae parte minus non sit.

9. Sacerdos insuper sacris operaturus, accedat veste nigra talari indutus, conspicua in medio capite corona (2), sine pileolo (3), sine annulo (4), et sine ficta Caesarie (5), nisi sit ab Apostolica sede privilegio donatus. In Ecclesiis ruralibus induere sibi vestem talarem poterit in sacrariis.

10. Tempus, quod sacris agendis jamdudum praefinivit Ecclesia, est, ut ab Aurora ad Meridiem Missa celebrari possit. Media nocte vix elapsa Nativitatis D. N. J. C. unum tantum solemne pe-

---

(1) Concil. Rom. tit. 15. cap. 1.

(2) Conc. Rom. in Appen. n. 18. §. 5.

(3) Can. Nullus Episcopus *57. de Cons. dist. 1.*

(4) Cap. Clerici de vita et honest. Cleric.— Conc. Rom. tit. 16. cap. 3.

(5) Benedict. XIV. de Synodo Dioecesana. l. II. cap. 9. §. 5.

ragere Sacrificium licet. In quacumque Ecclesia, etiam Regularium, poscentibus hac etiam nocte fidelibus, Eucharistiam ministrari vetitum est (1).

11. Hoc autem esset in votis, ut Sacerdotes, ad cultum omnium gratissimum Deo exhibendum, et ad praesidia numero carentia pro populo exoranda, quotidie sacrum facerent. At noverint ii, qui nimis diu hujus Sacrificii celebrationem praetermittunt (2), sese culpae lethalis non esse immunes. Sese vero a Missae celebratione abstinere omnes debent tribus postremis Majoris Hebdomadae diebus; sed feria V. in Coena Domini Eucharistiam sumant in Missarum solemnibus de manu Episcopi, vel alius Celebrantis.

12. Facultas celebrandi in quacumque Ecclesia etiam Regularium denegetur vagis, ignotisque Sacerdotibus, sive saeculares, sive regulares sint (3), si accesserint sine literis proprii (4) Ordinarii testimonialibus, a Vicario nostro jam recognitis et approbatis. Iis vero, qui Vicarium Generalem adire nequeunt, tum Vicarii Foranei, tum etiam Vicario Foraneo absente, Parochi ipsi, sed ita, ut Vicarium Foraneum inde adeatur, literis proprii Ordinarii exhibitis, facultatem celebrandi faciant.

---

(1) S. C. R. 7. Decemb. 1641.

(2) S. Thom. in 4. dist. 13. quaest. 1. art. 2.

(3) Cong. S. Offic. in lit. Ency. 20. Feb. 1649. et 26. Jan. 1692. — S. C. Ep. et reg. 12. Oct. 1709.

(4) Conc. Trid. sess. 23. de Sac. Mis. in decr. de Observ. et vitan. in cel. Missae — Eadem sess. cap. 16. de Refor.

13. Sacerdotibus etiam vehementer in id incumbendum est, ut ex Missae celebratione tum majus obsequium, majorque cultus in Deum, tum majus bonum majorque utilitas redundet in populos. Ad hoc assequendum frequens fidelium ad Missam conventus vel maxime confert; — praesertim cum fideles omnes, qui adsunt, seu viri, seu mulieres (1) sint, licet non specialiter ut Sacerdos, sacratissimum illud offerant Sacrificium. — Quivis igitur Sacerdos caveat, ne sine edito, aliquanto ante, aeris campani signo sacrum inchoet. In quavis itidem Paroecia summo mane vel a Parocho, vel ab aliis Sacerdotibus per vices pro Purgatorii animabus celebretur quotidie Missa cum duorum juliorum eleemosyna, quae ab administratore loci pii eleemosynis colligendis pro earum suffragiis constituto, solvatur. Altera, lucescente die, altera circa Meridiem Missa in populi commodum celebretur diebus festis: caeterae vero Missae ita sint alternandae ut quacumque, si fieri possit, hora non desit Sacrificii celebratio. Ubi autem Evangelii explanatio primò mane fit a Parocho, nemini, antea quam absoluta sit concio, Missam celebrare liceat (2).

14. Verum Missa parochialis diebus Dominicis et Festis de praecepto hora commodiori universo

---

(1) Petr. Damian. in lib. Dominus vobiscum cap. 8. — Innoc. III. lib. 3. de Myster. Miss. cap. 5.

(2) Conc. Mediol. IV. p. 2. §. 1. — S. C. R. circa jus Parochorum die 12. Decemb. 1704.

populo, judicio (1) Parochi, celebretur. Tempore, quo nos in Ecclesia sacrum peragimus, aut Majoris Missae adstamus celebrationi, cautum jure est, ne alter in eadem Ecclesia, nec etiam in eodem altari, ubi Pontificalia (2) habituri sumus, sacrum perficiat.

15. Quamvis Sacerdoti non, nisi in Ecclesiis aut Consecratione aut Benedictione Deo devotis, ac in publicis Oratoriis per Episcopi visitationem approbatis, sacrum facere liceat (3); tamen ob privilegia in corpus juris inserta, aut ob peculiare sedis Apostolicae Diploma, in privatis etiam ac domesticis quibusdam Oratoriis Sacrificium peragere fas est. Caveat Sacerdos, ne sacrum facturus, accedat, nisi sibi constet de privilegio; nec festis solemnioribus de quibus loquemur in Appendice (4) in his privatis celebret Oratoriis, sub poenis judicio nostro irrogandis, quibus etiam eum plectemus Sacerdotem, etsi Regularis sit (5), qui sacrum ibi facere audeat, absentibus iis, quorum gratia privilegium datum esse constat: nam exteri adsentes nullo pacto Ecclesiae satisfaciunt praecepto (6). Noverint etiam Sacerdotes omnes, tum saeculares,

---

(1) Ita vetus Synodus Elisei in tit. de Missarum celebratione.

(2) Conc. Antisiodoren. can. 10. — can. final. de Consecr. dist. 2.

(3) Can. In Altari 197. de Consec. dist. 2.

(4) Vide Append. n.

(5) Concil. Trid. sess. 22. decret. de obser. et vitanda in Sacr. Missae — Clemens XI. die 15. Decembr. 1703.

(6) Decr. Clemen. XI. 15. Decemb. 1703.

tum regulares, esse a nobis vetitum, ne in Monialium Ecclesiis sacra ipsi perficiant sine nostra, aut earundem confessarii venia.

16. Qui recens est initiatus Sacerdos, antequam ad Altare celebraturus accedat, a nobis impetret in scriptis celebrandi facultatem. Ad quam habendam necesse est, ut testimonium, quo constet, se esse ad celebrandum idoneum, datum a Caeremoniarum praefecto, nobis exhibeat. In nova etiam Missa omnia, quae profanam sapiunt solemnitatem, vetamus ac interdicimus. Novensilis enim Sacerdos, die praesertim, quo primum celebrat, totus esse debet in iis, quae ad tam tremendum sacrificium spectant.

17. Cum, qui Altari inservit, de Altari vivere debeat; hinc eleemosynam pro Missae celebratione recipere, cuivis Sacerdoti licitum est, ad suae quasi stipendium (1) sustentationis. Ad nos pertinet hujus eleemosynae modum (2) praefinire. Hinc nostrae Dioecesis consuetudine innitentes, pro singulis Missis adventitiis, stipem obulorum quindecim statuimus. Paroeciarum vero Œconomis pro Missae celebratione diebus festis obulos triginta, aliis diebus obulos viginti in Eleemosynam decernimus: quoad autem legata pia instituenda et Missarum officia, pro singulis Missis stipem obulorum viginti sancimus. At sacrum facere pro stipem po-

---

(1) S. Thom. 22. quaest. 10. art. 2. ad 2.
(2) Bened. XIV. de Synod. lib. 5. cap. 9.

stea oblaturis; accipere pro tot Missis celebrandis stipendium, et pauciora perficere (1) sacrificia; duplex stipendium carpere pro uno eodemque sacrificio; singulos sacrificii fructus pro singulis, qui stipem ad Missam, alter de altero nescius, dederint (2) applicare, impium est ac damnatum. Noverint etiam Sacerdotes, vetitum esse sub poena (3) suspensionis, ipso facto incurrenda, et summo Pontifici reservata, retenta sibi stipendii parte, Missas, minori eleemosyna celebrandas, aliis Sacerdotibus tradere, etsi id noverit, ac consentiat eleemosynae oblator (4), ac ille sacerdos sit minori stipendio contentus. Laici autem, si hoc idem audeant, in Excommunicationem incidunt, Papae reservatam. Vetitum etiam est, ut Sacerdotes plures sibi Missas sumant celebrandas, quibus in praefinito (5) unius mensis spatio satisfacere nequeant, nisi, qui stipem tribuunt, assentiantur.

18. Caveat insuper Sacerdos, ne sacrum faciat nisi in Ecclesia, in altari, die, hora designata vel a testatoribus, vel ab eleemosynam tribuentibus (6). Rectores praeterea Ecclesiae, aut ecclesiastici beneficii, piorumque locorum administratores, soda-

---

(1) *S. C. C. jussu Urbani VIII. 25. Junii 1625. — Innoc. XII. const.* Nuper.

(2) *Octava propos. damnata ab Alexan. VII.*

(3) *Bened. XIV. Const. quanta cura.*

(4) *Benedictus XIV. loco cit.*

(5) *Bened. XIV. Inst. 56. n. 14. — Vide Scavini in Th. Mor. de Euchar. cap. 2. §. 4.*

(6) *S. C. C. in Ferrarien. 26. Martii 1718.*

litates, nec non Canonicorum Collegia ex Urbani VIII. ac Innocentii XII. decreto, sacris interdicuntur (1), si perpetua Missarum onera, auctoritate proprii Episcopi non accedente, suscipiant. Praecipimus autem, ut in Sacrario duplex sit codex: alter pro perpetuis Missarum oneribus inscribendis; alter pro Missis, quae adventitiae nuncupantur, in dies singulos, addito anno, mense et die, annotandis (2).

19. Maneat praeterea Sacerdos post sumpta Mysteria in Ecclesia circa saltem quadrantem horae, pro collatis beneficiis actiones Deo debitas gratiarum referens; et meminerit, nullum ad omnia pro se, et pro aliis beneficia imploranda aptius esse tempus, quam cum celebrat; aut cum statim post Missae celebrationem Christum alloquitur, gratias agens et orans.

20. Omne denique studium conferant Parochi ad fideles de Missae excellentia, natura et fructibus, nec non de Caeremoniarum significatione edocendos. Curent, ut Parochiani quotidie tam salutari huic Sacrificio intersint, sed intersint non in Ecclesiae januis, non confabulationibus, risu, aliisque id genus indecentiis sacrum profanantes; verum genibus flexis, et eo pietatis ac religionis sensu, quo in Calvariae Monte, juxta Crucem, Cruento Christi Sacrificio adstitissent.

---

(1) cit. Const. Nuper.

(2) cit. lit. Ency. et cit. Const. Innocen. XII. — Instructio pro implemento onerum Miss. de mandato Clemen. XI. 1. Octob. 1704. S. Dovranno.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

—

1. Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum esse vel in re, vel in voto necessarium (1) ad salutem, Concilia, summi Pontifices, sancti Ecclesiae Patres, omnesque Theologi edocent, atque tuentur. Cum enim fragilitatis nostrae conditio, nos, quamvis Spiritu per Baptismum renati, per Confirmationem roborati in fide, vivificaque Eucharistiae fuimus alimonia nutriti, sine peccato vivere non patiatur, ex ingenita virium conditione lapsuros; hinc Christus ipse, qui noverat (2) figmentum nostrum, alteram nobis in hoc Sacramento post naufragium tabulam, dives in misericordia reliquit.

2. Sicut autem Deus Pater (3) Filium suum, ut salvum faceret quod perierat, misit in mundum; ita Christus ipse, ut salvi fierent, qui lapsi fuissent, nos misit praedicare (4) poenitentiam, eamque nobis tribuit potestatem, ut, quorum remiserimus peccata, remittantur eis; et, quorum retinuerimus, retenta (5) sint. Ut vero rite recti-

---

(1) Concil. Trid. Sess. 14. cap. 2.
(2) Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1.
(3) Joan. 20. v. 21.
(4) Lucae 24. v. 47.
(5) Joan. 20. v. 23.

que in hujus Sacramenti administratione beneficium mortis Christi fidelibus applicetur, ne remedium nostrum (1) diabolo fiat triumphus; intento perpendant animo Sacerdotes, quae ad hujus dignitatem Sacramenti, et quae ad optatam Poenitentium spectent utilitatem. Quapropter ad aliquid hac in re edicendum nos vocat muneris nostri ratio.

3. Cum poenitentiae Sacramentum (2) ad veri judicii rationem institutum sit; judiciique autem natura illud exposcat, ut sententia in subditos feratur; hinc nullus Sacerdos, aut saecularis, aut regularis, eos potest absolvere, in quos aut delegatam, aut ordinariam non habeat jurisdictionem. Approbatio igitur nostra, quamdiu nobis visum fuerit, duratura, a quocumque obtinenda erit Sacerdote, Parochis exceptis, ad excipiendas in Dioecesi nostra etiam de venialibus (3) peccatis confessiones, praeter mortis articulum, sub poena excommunicationis statim incurrenda (4), aliisque poenis gravissimis in Sacrilegos latis.

4. Et quoniam necesse est, ut, quos in duces et magistros gregis nostri eligimus, eorum doctrinam, morum probitatem, aliasque virtutes digno-

---

(1) S. Ambros. In Evang. hom. 26. n. 6.

(2) Concil. Trid. Sess. 14. de Poenit. cap. 7.

(3) Decr. S. Cong. C. de Comm. quotid. app. ab Inn. XI. 12. Feb. 1679.

(4) Greg. XV. Constit. Inscrutabili — S. C. C. in Nap. 14. Apr. 1646.

scamus; hinc satis gravi volumus probandos examine, qui hujus Sacramenti ministerio praeficiemus.

5. Sacerdos vero ad id munus approbatus, talari veste, Superpelliceo (1), ac stola, et, si regularis sit, stola tantum super vestem ordinis sui indutus, ea, qua decet, gravitate et modestia, ope S. Spiritus implorata, ad Poenitentiae tribunal accedat. Mulierum (2) confessiones semper in sede confessionali audiantur, nec ante ortum, nec post solis (3) occasum: quae, si aegrotae sint, domi confiteantur; sed ita pateant cubiculi fores, ut ab omnibus conspici (4) possit Sacerdos. Virorum etiam et praesertim puerorum confessiones in templo ac in sede confessionali suscipi exoptamus; extra quam sedem Sacerdos saltem sese ita gerat, ut mutuum poenitentis (5) aspectum vitet, ne animi perturbationem inferat confitenti. Confessarii, qui aegrotantium confessiones exceperunt, aut relicta syngrapha, aut alio modo id Parocho significent sub poena (6) suspensionis a confessionibus. Caveant Sacerdotes, ne in earum mulierum,

---

(1) S. C. Epis. et Reg. in Albigen. 8. Novemb. 1588. — Ritual. Rom.

(2) Encyc. S. Officii — S. C. Ep. in Collen. 18. Decemb. 1693.

(3) S. C. Ep. in Patav. 21. Jun. 1620.

(4) S. C. Ep. 19. Apr. 1611. et 21. Mart. 1682.

(5) Can. Omnes utriusque sexus — S. C. Ep. et Reg. 6. Jun. 1687. — Ency. S. C. S. Off. 14. Decemb. 1601. — S. Thom. in suppl. Quaest. 2. Art. 2.

(6) Clem. X. Const. Superna.

quarum (1) confessiones audiunt, domum adeant, nisi maxima charitatis causa, vel necessitas urgeat; nec, ut illae apud se accedant, ipsi sinant.

6. Poenitentiae tribunalia in patenti conspiscuoque (2) Ecclesiae loco sint posita, quae ferreas habeant hinc inde crates foraminibus ita exiguis, ut poenitentium vultus (3) non dignoscatur. In interiori illorum parte sit constitutio in coena Domini (5), et casuum reservatorum tabella: ubi vero in genua adsolvitur poenitens, supra crates sacra quaedam apponatur Imago.

7. Cum autem Confessarii in hoc Sacramento administrando sese induant personam Patris, Medici, Doctoris, et Judicis; meminerint, quam sibi formidandum onus susceperint, et quorum indigeant Charismatum, ut rite recteque hoc quaduplici fungantur munere.

8. Quare Confessarius tamquam Pater, cum sit Vicarius (5) amoris Christi, peccatorem ea amplecti debet charitate, qua filium e longinquo redeuntem, patrimonio suo naufragum, pannosum, omnique foeditate sordidum, amplexus est Pater Evangelicus. Neminem ipse contemnat: neminem

---

(1) S. Hier. ep. ad Nep. — S. Thom. Opus. q. 64. cap. 22.

(2) Ency. S. C. S. Off. 14. Decemb. 1643. — Concil. Narb. A. 1225. c. 7. — Concil. Lambethen. 1330. cap. 2. — Concil. Burdigal. A. 1624. cap. 5. num. 6.

(3) Rit. Rom. — S. C. in Patav. 21. Jun. 1620.

(4) Paul. V. Con. 63. — Urb. VIII. Con. 62. — Clem. X. Con. 34.

(5) S. Ambr. ita Confess. vocat.

abjiciat. Filios quidem dissolutos, sed ad coelestem Patrem redire cupientes amantissime suscipiat, sive pauperes, sive rudes sint. Condolere debet, qui ignorant (1) et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate. Nec se impatientia motum, nec taedio affectum, nec admiratione de peccatorum immanitate perculsum, in excipiendis confessionibus ostendat. In id potissimum elaboret, ut, quam misero funestoque aeternae damnationis periculo versentur, penitus intelligant; eosque ad veram contritionem excitet.

9. Hinc ipse, veluti Medicus applicet manus ad vulnera curanda: sed prius originem causasque morborum scrutetur atque dignoscat. Sedulam quidem in eo collocet operam, ut cordis latebrae pateant, et de peccandi consuetudine, de tempore, de loco, de rerum concursu, personisque in peccando sociis, interrogationes instituat; nec non negotia, quibus addictus poenitens sit, ejusque statum, conditionemque perquirat.

10. Caveat etiam, ne prae poenitentium multitudine aliqua muneris sui parte defungi omittat. Melius est enim paucorum confessiones audire (2), quam multorum inordinatas, et sine fructu. Hinc si poenitens in eo est, ut necessario irritas iteret confessiones, patientissimis Confessarius auribus eas audire non renuat. Si quis vero sit, qui prae

---

(1) ad Hebr. 5. v. 2.
(2) S. Franc. Xaver.

verecundia pandere recusat peccata; ut Medicus amantissimus, qui aegro etiam reluctanti mederi studet, eum non deserat; sed omni, qua poterit, ratione juvet. Si autem necesse sit, poenitentem arguere, eum sine contumelia, et cum animi lenitate objurget, ut ille a via iniquitatis recedat. At si Poenitens obdurato sit corde, nec lenitatis spiritu ad vitae emendationem possit adduci; tunc Confessarius medium teneat, lenitatem (1) inter et severitatem, ne peccandi fomitem praebeat. Quo magis vulnus grave est, eo magis forti curetur medela. Nam si in aperiendo secandoque vulnere aeger ejulat (2), postea sanitati restitutus gratias aget.

11. Caeterum, hoc curet Confessarius, ut ea, quae poenitenti opportuniora arbitrabitur, remedia applicet, ex quibus alia sunt generalia, ut amor erga Deum, obsequium erga Beatam Virginem, Sacramentorum frequentia, Passionis Christi commentatio, conscientiae vespertinum examen, peculiaris erga Sacratissimam Eucharistiam veneratio, et alia id genus. Sed, ut ad rem propius accedat Confessarius, remedia applicet pro vitiorum diversitate. Hinc qui in turpia peccata prolabitur (3), vitet otium, peccandique occasiones effugiat: qui avaritiae vitio laborat, eleemosynas eroget: qui

---

(1) Petr. Blesens. in tract. de satisfact.
(2) S. Cypr. Tract. de lapsis.
(3) Vide Theol. S. Alf. de Liguorio.

superbia tumet, submisse de se sentiat, ac diligat humilitates. Verum in satisfactionibus injungendis necesse primum est, ut Confessarius, tum criminum (1), tum poenitentium qualitatem facultatemque diligenter inspiciat. Sed curet, ut, quantum fieri poterit, peccatorum gravitati respondeat injuncta satisfactio, ne aliena ipse participet peccata, dum plus aequo vult esse mitior.

12. Et quoniam Confessarius se se induit etiam personam doctoris, necessariam haurire debet ipse doctrinam tum a Sacra Scriptura et Ecclesiae Patribus, tum e probatis Theologis. Sciat oportet, quae sint mortalia, et quae (2) venialia, species et circumstantias necessario explicandas, casus reservatos, et saltem communiores censuras, quid constituat occasionem proximam; quae spectant ad bonorum famaeque restitutionem; quae ad bonam dispositionem requiruntur in Poenitente; et remedia peccatis opportuna.

13. Dum igitur confessionem excipit, edoceat Poenitentem omnia, quibus indiget, opemque illi ferat. Peccatorum numerum, speciem, et circumstantias, quae explicandae necesse sint, exquirat; sciscitetur etiam an Poenitens status sui, munerisque functus sit officiis; an peccaverit corde; an peccata in confessione ex negligentia, aut vere-

---

(1) Concil. Trid. sess. 14. cap. 8.

(2) Vid. Theol. S. Alfon. de Liguorio de Poenit. de Confess. muneribus.

cundia omiserit; rudesque, atque illos, de quibus dubitat, interroget de iis, quae necessaria sunt ad salutem. Caveat tamen, ne in poenitentibus interrogandis nimius sit, et ne novae ingerantur malitiae.

14. Si Confessarius judicis partes agere debeat; cum judiciaria potestas hoc expostulet, ut, quod debet judicare, discernat (1); quisque videt, quam singularis scientia in Confessario desideretur. Antequam enim deneget, aut impertiatur absolutionem, omnia poenitentis crimina aequa judicii lance persistet; quod fieri nequit, nisi scientiae lumen accedat: nec non, quae sit confessi dispositio, sedulus inspiciat, necesse est.

15. Caveat ipse absolutione eos donare, qui praecipue fidei (2) mysteria ignorant, eosque parentes, qui filios in timore Domini educare non curant. Cautissime se se gerat cum recidivis, consuetudinariis, vel cum iis, qui in peccandi occasione versantur: mandet etiam, ut, quidquid damni rebus, famae, personisque illatum fuerit, ea, qua poterit, ratione reparetur: absolutionem deneget iis, qui mandatis obtemperare renuunt, illamque proroget, si dubitandi locus sit, utrum obligationi satisfecerint, nec ne. Non faciles Confessarius praebeat aures mentitis illorum verbis, quae opere vacua non semel ostendit eventus: hi enim, ut ait

---

(1) Can. qui vult distrib. 6. de Poenit.
(2) Vid. Cap. hujus synodi de fide.

S. Ambrosius, non tam se solvere cupiunt, quam Sacerdotem ligare (1).

16. Dona excoecant (2) oculos judicum. Confessarius igitur nihil intuitu confessionis a poenitentibus petat, nihil accipiat. Si pro satisfactione eleemosynam injungit, caveat ipse, ne quidquam aut in suam, aut in suae Ecclesiae vertat utilitatem.

17. Prae oculis semper habeat Confessarius, quidquid contra sollicitantes (3), et contra eos, qui in peccato turpi complicem (4) absolutione donant; ac contra eos, qui a poenitente nomen Complicis, ejusque habitationem (5), aliasque ad eum detegendum qualitates exquirunt, a Gregorio XV., et a Benedicto XIV. statutum fuit. Meminerit etiam, eos, qui Confessarios innocentes falso sollicitationis crimine insimulant, aut ad id alios suaserint, aut impulerint, non posse, nisi a Romano Pontifice (6) praeter mortis articulum absolvi.

18. Poenitentes, praesertim si foeminae, si rudes, si pauperes sint, qui cujuscumque dispensationis indigent, non moerentes, non fractos animo dimittat confessarius; sed eos consoletur, et ad impetrandas vel ab Episcopo, vel a Sacra Poe-

---

(1) S. Ambr. lib. 2. de Poenit. cap. 9.
(2) Eccles. 20. v. 31.
(3) Const. Greg. XV. Universi Dominici — Bened. XIV. Sacramentum Poenit. — Apostolici muneris.
(4) Bened. XIV. Const. cit.
(5) Bened. XIV. Constit. Suprema omnium. — Const. Ubi primum — Constit. Ad eradicandum.
(6) Bened. XIV. Const. Sacramentum Poenit.

nitentiaria necessarias facultates se se alacriorem exhibeat. Methodum pro impetrandis dispensationibus trademus in appendice N.

19. Caveat Confessarius, ne quid in Poenitentiae Sacramento cognitum, quod confessos prodere possit poenitentes, aut verbis, aut signis, aut alio modo (1) unquam pandat: nec etiam generatim de iis, quae in confessione audiverit, verba faciat: sed ponat ori suo custodiam, et signaculum certum super labia sua. Severissima haec sacramentalis silentii lex omnes adstringit sub gravissimis poenis, quibus sacrilegos sacri arcani violatores plectit Ecclesia (2).

20. Ut vero Confessarius salebroso Patris, medici, doctoris atque judicis munere rite recteque fungatur; praeter aureolos illos Pauli Segneri libros — Il Confessore istruito — Il Penitente istruito — nocturna diurnaque manu verset libellum S. Caroli Borromaei ad Confessarios.

21. Et quoniam illud in prisco Ecclesiae more est, ut nonnulla atrociora (3) peccata a summis tantum sacerdotibus absolvantur: nos juxta Tridentinorum Patrum mentem, qui hujusmodi curam Episcopis commendarunt, casus nobis reservatos in tabula recensemus, a quibus quemquam sine nostra facultate absolvere omnibus confessariis interdicimus.

---

(1) Concil. Lat. IV. can. 12.
(2) Concil. Lat. IV. can. 21. — C. Sacerdos Distin. 6. de Poenit.
(3) Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.

TABELLA
CASUUM RESERVATORUM

I. Injuriosa locutio in Deum, aut Beatam Virginem, vel in Coelites post ternam vicem ab extrema valida exomologesi prolata.

II. Homicidium praemeditatum: abortus procuratio etiam effectu non secuto, extensive in utroque ad cooperantes.

III. Contumeliosa manuum injectio in patrem, vel matrem.

IV. Detentio infantium sine repagulo in eodem lecto ante expletum primum aetatis annum.

V. Incuria parentum, et herorum post trinam Parochi monitionem, circa liberos, et famulos instituendos in christiana catechesi.

VI. Bestialitas etiam incompleta: sodomia tam activa quam passiva: stuprum, aut copula sub praetextu, vel data fide connubii contrahendi: lenocinium: incestus inter consanguineos et affines in primo et secundo gradu, tum etiam inter personas spirituali cognatione conjunctas.

VII. Mendacium in jurato examine, vel in libello aut epistola famam graviter laedente, complexive ad malitiose transmittentes, et evulgantes:

item publicarum scripturarum falsificatio ; et in his omnibus reparationis injunctae praetermissio.

VIII. Damnificatio alienis bonis illata vindictae vel odii causa, per incendium, aut per incisionem vitium, vel arborum.

IX. Pauperum oppressio per improbatum monopolium, vel captiosum foenus.

X. Subversio filiorum familias per noxias lectiones, vel improbas collocutiones, ut desciscant ab observantia erga parentes.

XI. Piorum legatorum solutio, diutius anno protracta, nec non negligentia notariorum, a notitia obitus defuncti legata ipsa aliasque pias testatorum dispositiones infra mensem in Civitate, infra tres menses si morentur extra, non denunciantium.

XII. Conniventia in aliquo ex adjunctis, quae perstringit sequens primus casus cum censura.

CASUS RESERVATI CUM CENSURA IPSO FACTO INCURRENDA

Quorum primo adnexa est Excommunicatio, alteri Suspensio

I. Expressa seu tacita invocatio Daemonis ad sortilegia perpetranda: abusus Sacramentorum, vel rerum sacrarum ad vanas observantias, inclusive ad complices.

II. Falsa et malitiosa Missae debitae descriptio in libris, vel syngraphis attestantibus.

ADMONITIONES

1. Reservatio cum sit ademptio potestatis absolvendi a certis peccatis: hinc est quod praesumentes ab eis absolvere extra mortis articulum, incidunt in excommunicationem Summo Pontifici reservatam ex Decr. s. m. Clementis VIII. die 9. Jan. 1601.

2. Cum expositae reservationes sint medicinales, hinc discretus Confessarius meminerit, tunc sibi adimi potestatem, quando facinus sit interne et externe lethale, certum, in sua specie completum materialiter, et formaliter; reservationem vero non cadere quoad impuberes.

3. Recogitans etiam Confessarius illud axioma » spiritus legis est anima legis » secernat quid peculiare feriat reservatio in singulis excessibus: sic in N. 1. ferit convicium, praesertim pacato ex animo procedens: locutio ex imprudentia vel ex irae impetu erit culpa aestimanda pro actus humani ratione, sed non reservato; prava autem consuetudo, cum ex D. Thoma augeat malitiam, ideo non excusat post ternam vicem. Non infrequens est in rudibus accusatio, qua se reos dicunt blasphemiae, quia mala precati sunt viventibus vel defunctis: investigans, percipiet Confessarius. non limitari in casu jurisdictionem, sed eos edoceat, et salutaribus corrigat remediis. Conniventia uti in N. 12. secernenda est a complicitate: in hac siquidem delinquens se habet active, in illa passive, proindeque complici imputabilis est actio quemadmodum auctori: conniventi vero tantum imputatur quod sciverit, et non reprobaverit.

4. Religiose observanda est major sanctio sive medicinalis, sive pœnalis, quam pro iisdem, vel aliis criminibus Pontificiae Constitutiones, praecipue Bulla Coenae, et recentiores Encyclicae, necnon edictum supremae Inquisitionis decreverunt: hinc fidelis Confessarius saepe eas legens, et perpendens inferet, injuriosam locutionem, de qua in N. 1., si conjunctum habeat errorem in intellectu, reservatam esse Summo Pontifici: sic pariter abortum.

de quo in n. 2. si sit foetus animati, et effectu sequuto, non comprehendi in generali delegatione absolvendi a reservatis, sed opus esse juxta mentem Gregorii XIV. Const. S. speciali Episcopi facultate: sic dicatur de incendiario jam denunciato, de reo damnati foenoris, de non solvente pia legata, si adjunctam habet nequitiam usurpationis, et sic de caeteris.

5. Pro absolutione vi Clavium obtinenda, Confessarius poenitentem humaniter remittat ad Ordinarium, vel ad alterum ab eo speciali instructum aucthoritate, vel reticito poenitentis nomine petat sibi facultatem communicari, advertens, quod facultas concessa in incestu extenditur ad redintegrationem ad jus petendi, quatenus opus sit: non extenditur vero generalis delegatio ad absolvendum a censuris, vel dispensandum ab irregularitatibus in casibus occultis, ad formam Trid. sess. 24. de ref. cap. 6.

6. Ut quo facilior est relaxatio culparum, eo fiducialius poenitentes ad Sacramentum reconciliationis accedant, Canonico Cathedralis Poenitentiario, absque limitatione temporis, Parochiale autem munus exercentibus, a Dominiea 4. Sacri Adventus usque ad Epiphaniam; a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis; a Dominica Pentecostes ad Octavam Corporis Christi; in festo Patroni principalis; ac prima, et secunda diebus Augusti, facultas conceditur absolvendi a reservatis, exceptis signatis sub N. 3. 6. quoad incestum, 7. et 10. necnon duobus cum censura; monito singulis vicibus poenitente de reservatione, et piaculi gravitate; reparatis damnis, si opus sit, et injuncta speciali satisfactione. Eadem potestate quoad omnes reservatos, exceptis duobus cum censura, polleat quisque ex approbatis Confessariis, dum apud eum instituitur confessio generalis, vel dum sponsi matrimonium cotrahunt.

7. Saepe evolvat Confessarius, quae de Sacramento Poenitentiae saluberrime tradit Catechismus Romanus potissime agens de satisfactione injungenda in N. 17.

22. Meminerint omnes confessarii, etiam Regulares, se, si unquam a peccatis et censuris tum Sedi Apostolicae, tum nobis reservatis quemquam

extra mortis periculum absolvere praesumpserint, excommunicationem latae sententiae summo Pontifici (1) reservatam incurrere.

23. In id denique potissimum incumbant Parochi, ut populos tum naturam hujus Sacramenti, tum ejus partes edoceant. Sit diligens, et accurata culparum investigatio: sit vera et charitate perfecta, atque iterata in corde contritio: sit nuda, simplex, aperta ac integra in ore confessio: sit toto in opere humilitas: sit paratus poenitens, Sacerdote judicante, omnia facere pro reparanda animae vita. Praeterea non solum de annuae confessionis praecepto populum, quadragesimae praesertim tempore, moneat Parochus, sed etiam ad hoc Sacramentum pluries in anno, et maxime in festis solemnioribus suscipiendum omnium animos excitet. Illud etiam cordi habeat Parochus, ut pueros de iis, quae ad Confessionem pertinent, instituat vel diligentissime; illosque, cum primum ad aetatem rationis compotem pervenerint, hoc vel saepissime frui Sacramento sedulus curet, blanditiisque ad id alliciat.

---

(1) Clem. VIII. 9. Jan. 1601.

CAPUT VII.

DE INDULGENTIIS

1. Maximam ex Indulgentiis in Christi fideles defluere utilitatem, certissimum est. Per ipsas enim tribuitur relaxatio temporalis poenae peccato actuali, jam quoad culpam remisso, debitae; quae quidem relaxatio extra Sacramentum, Sacrificium, et Martyrium fit coram Deo virtute clavium per Ecclesiae thesauri applicationem. Quid enim majus consequi fideles possunt, quam ut illae temporariae, ex Christi, Deiparae, Sanctorumque meritis, sibi minuantur, aut ex integro relaxentur poenae, quas, peccatorum maculis jam deletis, divina justitia luendas exposcit? Ut Paulus incestuosum Corinthi, jam Satana traditum, misertus fuit; sic pientissima Mater Ecclesia erga filios miseratione movetur; et ab antiquissimis quidem temporibus ligandi atque solvendi utens potestate, coelestes indulgentiarum thesauros in fideles effundere consuevit.

2. Cum autem Summi Pontifices, quibus tamquam iis, qui Petro in Ecclesiae principatu successerint, immediate datae fuerint claves regni Coelorum; nec non Episcopi, qui jure divino Ecclesiae praesunt, tam solliciti curent, ut hujusmodi depositum dispensetur; hinc etiam fideles

indulgentias alacri quidem studio, summaque pietate adipsci enitantur, oportet. Ut igitur grex nobis credito indulgentias eo, quo par est fructu ac religione, assequatur, aliquid de iis attingere statuimus.

3. Indulgentiarum acquisitionem Christiano populo esse vel maxime salutarem meminerint Parochi, omnesque Evangelici Operarii. Hinc sedulam in eo collocent operam, ut populis, omni post habita quaestione, catholicam de indulgentiis adaperiant doctrinam. In qua autem tradenda ducem habeant Benedictum XIV. qui eam in suis editis (1) Encyclicis totam more suo complexus est.

4. Cum indulgentia sit vel partialis, vel plenaria, vel plenissima, ut in Jubilaeo; explicent Parochi quid discriminis inter eas intersit; ut sciat populus, quae a Deo donata sunt nobis (2).

5. Ostendant etiam, duo quidem ad indulgentias lucrandas ex parte suscipientis necessaria esse: videlicet statum gratiae, et injuncti operis satisfactionem. Qui enim Christum non habet in corde, cum aeterni sit supplicii reus, a temporali poena, peccatis debita, nequit absolvi. Quomodo enim debitum nomine Domini illis poterit condonari, quos haerentes in culpa, abominatur Deus?

6. Ad satisfactiones quod attinet, opera a Ro-

---

(1) Ency. Inter praeteritas. 3. Decemb. 1749. — Const. Apostolica constitutio.

(2) ad Corinth. 2. v. 12.

mano Pontifice, aut ab Episcopo injuncta intra praesentis temporis praescriptum adimplenda sunt: sed ultimum saltem opus in statu gratiae peragatur, necesse est. Haec autem Clementis XIII. et Pii VII. decreta Parochis et Confessariis sunt maxime attendenda. I. Cum pro lucranda indulgentia confessio praescribitur; etiam ii, qui mortalis culpae conscii non sunt, (1) eam peragere tenentur. II. Qui frequenter, aut semel saltem omni hebdomada, ad poenitentiae sacramentum accedunt; nulliusque ab ultima confessione peracta lethalis culpae sibi conscii sunt, quascumque indulgentias (2) consequi possunt etiam sine actuali confessione, quae caeteroquin juxta memorati decreti summam praemittenda esset. III. Ubi vero ob confessorum inopiam fideles frequenti confessione expiari nequeunt; si intra hebdomadam, festivitatem praeeuntem, illa peracta fuerit, reliquis conditionibus expletis, ac mortali culpa deficiente, ad hoc pariter valere (3) indulgetur. IV. Tum Confessio sacramentalis, tum Eucharistica Communio ad acquirendas indulgentias suffragari semper possunt, si festivitatum pervigilio (4) peragantur. V. His tamen indultis nihil innovatum est quoad indulgentias jubilaei tum ordinarii, tum extraordinarii, aliasque ad instar jubilaei conces-

---

(1) *Decr. 19. Maji 1759.*
(2) *Decr. 9. Decemb. 1763.*
(3) *11. Junii 1822. Pio VII. appr.*
(4) *Decr. 11. Junii 1822.*

sas, pro quarum consecutione sicut et alia opera, ita et confessionem, et communionem statuto tempore (1) haberi necesse est.

7. Quod spectat ad requisitam Ecclesiarum visitationem, expleri haec potest sive ante sive post aliorum operum implementum; ac in hujusmodi visitationibus juxta mentem, aut juxta eum, quem indulgentiae largitor enuntiaverit, finem, preces fundantur.

8. Noverint etiam Parochi et confessarii, indulgentiam, quae pro aliqua concessa sit festivitate, si festum illud transferatur, eam (2) non transferri, nisi in diplomate Pontificio expresse indulgeatur.

9. Non solum praeterea vivis, sed iis etiam, qui ex hac vita (3) decesserunt, indulgentiae prosunt. Eorum animae qui obdormierunt in Domino, etsi eam, quam in vita luere omiserint, poenam piaculari rependant igne in Purgatorio, sunt tamen cum Ecclesia charitatis vinculo conjunctae. Hinc pientissima Mater Ecclesia earum miserata cruciatus, Deo exhibens de thesauro suo, pro illis etiam per modum suffragii (4) indulgentias concedit. Ex quibus celeberrima est illa indulgentia (5), quam Romani Pontifices quibusdam Altaribus, quae

---

(1) Decr. cit.
(2) S. R. C. 30. Nov. 1679. et 10. Jun. 1690.
(3) Leo X. Const. Exurge Domine.
(4) Lambert. Inst. 56. n. 15.
(5) Bellar. in tract. de indul. lib. 1. cap. 14.

idcirco privilegiata nuncupantur, adnectere consueverunt. De quibus Altaribus privilegiatis Parochi et confessarii populum edoceant; nec non fidelibus commendent illam suffragandi rationem, quae vocatur — Il suffragio perpetuo — quam Pius Papa IX. suis etiam (1) literis, quas dabimus in appendice, probavit.

10. Nemo, quicumque sit, seu saecularis, seu regularis, novas in Dioecesi nostra indulgentias promulgare vel quoquo modo proponere audeat nisi a nobis scripto facta (2) fuerit evulgandi facultas, sub poenis pro temeritatis modulo irrogandis. Gravius autem eos multabimus qui indulgentias falsas evulgaverint, per S. Inquisitionis tribunal etiam (3) puniendos; aut eos, qui nefando nundinationis genere indulgentias, imaginibus, numismatibus, aliisque rebus adnexas venundare praesumunt.

11. Parochi, aliique Ecclesiarum Rectores curent, ut, cum plenaria indulgentia in ea, cui praesunt, Ecclesia certo aliquo die lucrari possit, ad templi fores a primis vesperis usque ad vesperas diei posterae apponatur tabella, ubi inscribatur — Indulgentia Plenaria —

12. Omnes Ecclesiarum Rectores, atque Societatum Praepositi, indulgentiarum exemplar et au-

---

(1) Vide append. n.
(2) Trid. Concil. sess. 21. cap. 9. de refor.
(3) S. C. C. in melit. 16. Martii 1630.

thographa earum diplomata, ut inter se, si probe conveniant, conferamus, intra tres menses ab hujus synodi publicatione ad nos mittant: quae diplomata iisdem reddemus in cujuscumque Ecclesiae aut sodalitatis tabulario diligentissime custodienda. Ut autem excitentur fideles ad suscipiendam misericordiam Dei in medio (1) templi sui; harum indulgentiarum tabella suspensa maneat in sacrario.

13. Ut autem cujusque lucri quaestusque nomen removeatur, se se abstineant Ecclesiarum praepositi, cum indulgentiae promulgantur, ab eleemosynis (2) exigendis. Si vero quaedam erit eleemosyna pro iis indulgentiis lucrandis in Apostolicis litteris indicta, hac de re populus moneatur. Caeterum eleemosynae ultro datae accipi poterunt, piis usibus addicendae.

14. Ad fovendam gregis nostri pietatem, ut magis ille magisque possit indulgentiarum divitiis se se ditare; earum syllabum tradere in appendice curavimus (3).

15. Doceant Parochi et Confessarii eam in concedendis indulgentiis semper fuisse Ecclesiae mentem, ut, quod fidelibus deesset, id hujusmodi auxilio suppleretur. Non enim nos ad desides reddendos, nec ab iis, quas pro peccatis Deo debe-

---

(1) Psal. 47. v. 10.

(2) Concil. Trid. sess. 21. de Refor. cap. 3. — Pius V. const. Etsi dominici — et constit. quam plenum 99.

(3) Vid. append. n.

mus, satisfactionibus avocandos (1) indulgentias concedit Ecclesia. Sic eas igitur assequi nobis enitendum est, ut orationi, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus insistere, dignosque poenitentiae fructus facere curemus.

---

(1) Bened. XIV. in praeparat. ad an. Jubilaei.

CAPUT VIII.

DE EXTREMAE UNCTIONIS SACRAMENTO.

—

1. Quamvis homini in toto vitae curriculo adversus tenebrarum (1) rectores sit colluctatio; omnium tamen teterrimus eum manet in vitae fine conflictus. Ipsum enim in supremo vitae agone versantem, atque in peccatorum cogitatione timidum, acriori certamine aggressurus descendet Diabolus, tamquam leo rugiens, qui habebit (2) iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.

2. Adversus igitur insidias, certamina, atque ictus tam fortissimi ac vaferrimi hostis oportet, armaturam Dei induatur homo. Christus autem, qui suos consolatur fideles in omni tribulatione, praesto fuit, eorum caput obumbrare in die tam periculosi certaminis per extremae unctionis Sacramentum; cujus virtute fideles illo tenebricoso tempore recreati, et tam firmissimo ad repellendos inimicos muniti praesidio, sese de manu hostis, et de manu robustorum (3) eruere valerent.

3. Cum per Extremae Unctionis Sacramentum a Christo Domino institutum, et a Beato Jacobo (4)

---

(1) ad Ephes. 6. v. 12.
(2) Apoc. cap. 12. v. 12.
(3) Job. 6. v. 23.
(4) Jacob. cap. 5.

Apostolo promulgatum, expientur, si qua adhuc expianda sint, aegrotantium delicta, peccatique reliquiae deleantur (1), et magna in Dei misericordiam excitetur fiducia; ac novae ad tentationes Diaboli superandas suppeditentur vires, corporisque salus, si animae saluti expediat, feratur: hinc Parochus de his omnibus oves suas beneficiis saepe moneat; aegrotosque in sanctum se se hoc Sacramento muniendi desiderium excitare satagat.

4. Parochi, aut pro ipsis Sacerdotes, vel Clerici in Sacris Ordinibus constituti, nova olea, veteribus in lampade, quae ante venerabile Sacramentum collucet, combustis, per nos in Cathedrali (2) Ecclesia consecrata quotannis accepturi accedant; atque eo, quo decet, cultu ad oppidum quisque suum gestare curet.

5. Est Parochus hujus Sacramenti minister legitimus; nec illud, nisi necessitas (3) urgeat, cuiquam Sacerdoti sine licentia Parochi licet ministrare; quod si Regulares audebunt, anathemate summo Pontifici reservato (4) feriuntur; quibus vero licet, quantum ad suos subditos (5) attinet. Moniales etiam ab ordinario earum confessario sacra sunt Unctione donandae.

6. Parochus itaque, si quem ex Parochianis no-

---

(1) Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. 2. 3. de Extr. Unct.
(2) Can. 122. et 123. de consecr. dist. 4. — Clem. VIII. Ex nobis.
(3) Concil. Mediol. V. p. 1.
(4) Clem. I. de Privil. in cost. dudum de sepult.
(5) Concil. Trid. sess. 24. de Refor. cap. 2.

verit gravi morbo laborare, non cunctetur, sed ad ea, quibus aegrotus indiget, officia praestanda festinet. Post confessionem, si per infirmitatem licet, et post susceptum Sanctissimum Viaticum, sacro infirmus Oleo liniatur.

7. Caveant Parochi, ne citius aut serius hoc ministrent Sacramentum; nec expectent, cum nulla sit salutis spes, et vita ac sensus deficere incipiant infirmum. At illud praebeant, cum infirmis integra adhuc mens sit et ratio. Nam ad uberiorem (1) Sacramenti gratiam percipiendam, aegrotus etiam suam fidem ac piam animi voluntatem tunc conferre potest.

8. Cum ex Eugenio IV. hujusmodi Sacramentum dari nequeat nisi infirmis, de quorum vita timeatur; hinc eo quidem non sunt donandi periculosam suscipientes navigationem, praelium ineuntes, qui capitis damnati supplicio afficiuntur, aliique id genus. Pueri etiam, quibus rationis lumen (2) non effulsit; item amentes, si perpetuo, et sine sanitatis intervallis in mentis alienatione fuerint, sacro non sunt oleo liniendi. Excommunicati notorii, et qui publice impoenitentes decedunt, non sunt quoque sacra Unctione donandi (3).

9. Quomodo autem Sacerdos, hoc administraturus Sacramentum, tum in formula atque in un-

---

(1) Vide Rit. Rom. de Extr. Unct.
(2) Concil. Cameracen. an. 1586. tit. 12.
(3) Vide Rit. Rom. loco cit.

gendi ratione, tum in sacro ad infirmos oleo perferendo sese gerere debeat, quidquid a Rituali Romano praescribitur, rite recteque servare praecipimus.

10. Insuper sancta sunt sancte non solum tractanda, sed etiam custodienda. Locus igitur nitidus, panno serico violacei coloris intus ornatus, clavique munitus, sancta servet olea prope Aram maximam, vel ad latus altaris, ubi repositum adoratur venerabile Sacramentum; ac super ostiolum haec apponatur inscriptio — Olea sacra — Ampullae etiam, ubi ea asservantur, sint argenteae vel stamneae, quarum habeat unaquaeque defixam in vertice crucem; ac nomen olei, quod continet, praeseferat inscultum. Quod si prae infirmorum multitudine sacrum Oleum non sufficere posse videatur, nec aliud consecratum haberi queat; Parochus modico oleo non benedicto in minori copia superinfuso reparari curet (1).

11. Si quod morborum genus ita grassetur, ut plurimis in supremo vitae discrimine versantibus Parochus praesto esse nequeat, noverint Sacerdotes, sese tum ex naturae lege, quae cuique jubet, hominem in extremo periculo juvare, tum ex obligatione, quam per sacros susceptos sibi contraxere ordines, recusare non posse, quin ipsi veniant poscenti Parocho adjutores, et ad eos, qui-

(1) *S. C. Inquis. 23. Sept. 1682. — et cap. Quod in dubiis de Consec. — Rit. Rom.*

bus spiritalem ille opem ferre non potest, juvandos nulla interposita mora advolent.

12. Videat denique Parochus, ne quisquam sibi concreditus absque hujusmodi sacramenti virtute ex vita migret. Quod si ex sua quidem negligentia contingat, gravissima poena multabitur. Nec, postquam sacram contulerit unctionem, aegrotos derelinquat, sed eos ad contrictionis, fidei, spei ac charitatis actus saepe eliciendos excitet, e terrenis curis evocet, eripere a potestate tenebrarum satagat, salutaribus monitis, atque orationibus ad ultimum usque vitae exitum juvet.

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

1. Ut Christus Dominus salvaret in perpetuum accedentes per semetipsum (1) ad Deum; sempiternum etiam habere voluit in Ecclesia sacerdotium. Quod novum revera constituit vetere illo longe praestantius, ut novae legis sacerdotes offerrent dona et sacrificia pro peccatis; ut toti essent in iis, quae sunt ad Deum; et a delictorum vinculis solverent; atque in fideles universos divinae gratiae derivarent rivulos; et dividerent aquas in vitam (2) aeternam salientes. Cum autem divina res sit tam sancti (3) sacerdotii ministerium; hinc ut dignius et majori illa posset cultu ac veneratione exerceri; ordinatissima dispositione plures distinctique in Ecclesia constituti sunt Ministrorum ordines; ut sacerdotio decentius administrando ex officio (4) manciparentur.

2. Verum quo major est Christiani sacerdotii dignitus, eo fortasse videtur esse periculosiór collatio. Nulla enim alia res aut gravior, aut sublimior ab Episcopo confici potest, quam manus im-

---

(1) ad Hebr. 7. v. 24. 25.
(2) S. Thom. 3. part. quaest. 34. art. 1. in corp.
(3) Concil. Trid. sess. 23. cap. 2.
(4) Concil. Trid. sess. 23. cap. cit.

ponere. Videtur enim, ipsa vel tristis, vel jucunda Ecclesiae conditio fere tota ab ipsa pendere conditione Ministrorum. Quare cum per Apostolum monemur, ne manus cito (1) imponamus: quae autem docet concilium (2) Lateranense IV. ea prae oculis habentes, in re tam gravi satis explorato maturoque consilio agendum existimamus, ita ut nec careat Ecclesia ministris, nec careant ministri virtutum meritis, scientiaeque praesidio.

3. Adolescentes, qui militiae Christi nomen dare exoptant, ante mentis oculos ponant illud Apostoli — Nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur (3) a Deo tamquam Aaron — Si nec avaritiae, nec gloriae cupiditate ducti, sed charitate in Deum, pulchroque in populi salutem studio incensi, se se clero addixerint, digitus Dei est hic, exaltans illos: at si lucra (4) saeculi, honorisque gradus inhiant in militia Christi; tunc non vocantur a Deo, nec intrant per ostium (5). Verum caveat adolescens, ne pedem offendat in vocatione sua. Saepe idcirco Patrem luminum adprecetur verbis psalmi — vias tuas, Domine, demonstra mihi; et semitas tuas edoce me — Ex aureo etiam S. Philippi Neri documento satis id sibi patebit, haec tria in eligendo vitae statu esse necessaria,

(1) 1. ad Timot. 5, 22.
(2) Concil. Lat. IV. cap. 27. de Inst. Ordin.
(3) ad Hebraeos 5. 4.
(4) S. Hierony. epist. ad Nepot.
(5) Joan. 10. v. 1.

tempus, consilium, Orationem. Haec omnia non negligat adolescens: tunc dabit profecto virtutem, qui contulit dignitatem.

4. Primum ad ordines facit aditum Tonsura, quam veluti totius Ecclesiastici aedificii vestibulum appellari posse arbitramur. Quotquot igitur illud ingredi desiderant; tum spe Beneficii Ecclesiastici assequendi, tum animo saecularis judicii declinandi, tum etiam consilio inertis, otiosaeque vitae sibi comparandae, vacuos esse oportet ac prorsus immunes. Ut vero non alios, nisi, qui de sorte sint Domini, quoad fieri poterit, eligamus; id requiremus, ut, qui prima tonsura initiari cupierint, saltem per sex menses de nostra licentia habitum clericalem induerint, atque in ea, cui fuerint adscripti, Ecclesia divinis inservierint; vel in nostro degerint Seminario (1).

5. Praeterea qui Ecclesiasticae militiae nomen dare per Tonsuram desiderant, haec, quae sequuntur, testimonia nobis exhibeant. 1. De legitimis natalibus et Baptismo. 2. De confirmatione, et aetate, quae septennium excedat. 3. De honestate morum a Parocho. 4. De pietate, ac frequentia Doctrinae Christianae, et sacrarum functionum. 5. De profectu in litteris, et modestia in scholis: legere saltem et scribere callere debent.. 6. De nullo animi, corporis, et famae defectu.

---

(1) Synod. nost. Elisei n. 7.

7. De nullo praejudicio in foro criminali contracto. 8. De origine, vel domicilio in nostra Dioecesi legitime contracto. 9. De spe, quam praebent in bonum Ecclesiae, et in Ecclesiasticae Hierarchiae decus secuturum.

6. Qui vero per primam clero sunt addicti tonsuram, non religionis tantum, sed ecclesiasticis moribus, pietate, sanctaque institutione ita se se praestantes exhibeant oportet, ut spem Ecclesiae augeant in dies. Si ita se gesserint; ac vitae ratio ea sit, ut de eorum virtutis, ac sanctimoniae stabilitate ac incremento nobis suadeat; tum profecto, cum ad minores ordines promoveri postulaverint, eorum desideriis obsequemur in Domino. Nemo minoribus singulis ordinibus initietur, nisi nobis haec ostendant testimonia. 1. De Tonsura vel ordine suscepto. 2. De vitae morumque honestate. 3. De semper delata Tonsura, et habitu ecclesiastico. 4. De praestito Ecclesiae servitio, et exercitio ordinis. 5. De progressu in litteris. 6. De studio cantus Gregoriani. 7. De praemissis spiritualibus exercitiis.

7. Majorum autem ordinum uti sublimior est dignitas, ita potiorem illi postulant sollicitudinem. Ad quos igitur promovendi, videant, num ea sint virtute praediti, ut sublimiores Ecclesiae gradus ferre pro dignitate valeant; num pravis animi, carnisque cupiditatibus sint mortui; num prospera mundi parvifaciant ac postponant; num adver-

sa pertimescant; num sola interna (1) desiderent. Oportet enim, ut, qui Dei adjutor (2) esse, Christique sacerdotio defungi cupit, is sit sanctus, innocens, impollutus, et segregatus (3) a peccatoribus. Quod si in ordinibus minoribus ea, quae canonica est, disciplina et pietate floruerint ac perseveraverint; et cupiant se arctius altaris ministerio mancipari, eorum votis indulgebimus.

8. Cautum in Ecclesia est, ut sacris ordinibus nemo initietur sine titulo; cum contemptibile faceret officium sacerdotale mendicitas. Ad majores igitur ordines promovendis sit ecclesiastici (4) Beficii titulus, cujus reditus ad triginta scutata perveniant. Quod si reditus Beneficii non suppetant, alios pro supplemento reditus non rejiciemus; dummodo certi sint et debita legum securitate muniti. Si vero Ecclesiae necessitas et utilitas id postulet, sacri etiam (5) patrimonii titulum admittere non dubitamus. Sed hujusmodi patrimonium non sit alieno aere gravatum, sit omni hipotheca, omnique alio vinculo solutum, nec sit litibus implicatum; sit ex bonis immobilibus ac frugiferis, et sine fratrum sororumque detrimento constitutum; sit denique omnino liberum, libereque possessum,

---

(1) S. Greg. Pastoral. curae p. 1. cap. 10.

(2) 1. ad Corinth. 3. v. 9.

(3) ad Hebr. 7. v. 26.

(4) Concil. Calcedon. VI. can. 6. — Concil. Melden. can. 53. — Concil. Lat. cap. 5. cap. Non liceat.

(5) Alexan. III. in Concil. Lat. — Concil. Trid. sess. 21. de Ref. cap. 2.

cujus reditus, detractis tum publicis, tum privatis oneribus, ad triginta (1) scutata ex jurato peritorum judicio pertingant. De quibus omnibus, nec non de ordinandorum vita et moribus et de terna denuntiatione, die festo de praecepto, facta tum in hac nostra Ecclesia Cathedrali, tum in eorum Ecclesia Parochiali, publicum exigemus, ut mos est, testimonium.

9. Ad sacrum praeterea subdiaconatus ordinem promovendus haec deferat testimonia. 1. De praemissis anno ante ordinationem spiritualibus exercitiis pro vitae statu definitive eligendo. 2. De ordine proxime suscepto. 3. De aetate legitima ann. 22. incept. 4. De mora inter alumnos seminarii nostri facta. 5. De studio cantus Gregoriani. 6. De titulo. 7. De tribus denuntiationibus factis. 8. De Interstitiis, vel causa dispensandi. 9. De susceptorum ordinum exercitio. 10. De praemissis spiritualibus exercitiis.

10. Qui ad Diaconatum promoveri postulant, haec exhibeant documenta. 1. De subdiaconatu suscepto. 2. De legitima aetate ann. 23. incept. 3. De tribus denuntiationibus factis. 4. De Interstitiis, vel causa dispensandi. 5. De subdiaconatus exercitio. 6. De frequentiore SS. Sacramentorum usu. 7. De praemissis spiritualibus exercitiis.

11. Ad sacrum denique Presbyteratus ordinem

---

(1) *Syn. nost. Elisei n. 9.*

promovendus haec exhibeat documenta. 1. De Diaconatu suscepto. 2. De legitima aetate ann 25. incept. vel de Apostolica dispensatione. 3. De terna denuntiatione facta. 4. De Interstitiis, vel causa dispensandi. 5. De Diaconatus exercitio. 6. De frequentiore Sacramentorum usu. 7. De praemissis spiritualibus exercitiis.

12. De his autem omnibus non modo nos per testimonia publica doceamur, oportet; sed Parochi, Vicarii Foranei, Seminariique Rector nos, quid sentiant, animo, ut decet, candidiore certiores faciant, atque instruant. Suasum vero hoc sibi habeant, numquam fore, ut arcani fides violetur.

13. Ad sacrorum ordinum collationem non sufficit una morum integritas, quam omnino exquiremus; sed divinarum rerum scientia est quoque necessaria. Labia enim Sacerdotis custodire debent scientiam, quia legem requirent populi (1) ex ore ejus; nec ei suffragatur justitia sua, de cujus manu anima pereuntis (2) exigitur. Turpe etiam esset, indoctos homines, atque illiteratos (3) ad sacra deligi ministeria. Hinc examen subeant candidati; quod coram nobis, et aliquot adscitis (4)

---

(1) *Malach. 2. v. 7.*

(2) *Julianus Pomerius de vita contempl. cap. 20. — Concil. Aquisgranen. cap. 36.*

(3) *Can. Praecipimus dist. 34. — can. Illiteratos dist. 36. — can. Priscis dist. 55. — can. Nullus de tempor. Ordin. in 6.*

(4) *S. Gregor. lib. 2. Epist. 48. ad Adeod. Epis. — Concil. Nanneten. Can. 2. — Can. quando 5. dist 24.*

sapientibus viris conficietur. Quisque autem ordinis, quem petit, naturam, finem, effectus, ritus, atque eas, quas ille parit, obligationes exponat. A Tonsurandis non solum Christianae fidei Doctrinam, sed etiam artem legendi, scribendique, ac pro eorum aetatula latinae linguae elementa requiremus. Qui vero ad minores ordines assumendi sunt, tum latinorum auctorum interpretatione, et versione, tum latina aliqua elucubratione latinam linguam se callere probabunt. Sacris denique ordinibus initiandi periculum scientiae faciant in Theologia Dogmatica et Morali, atque in scientia canonum.

14. Longa quidem deberet vitam (1) suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiae. Hinc statuta a Tridentinis Patribus interstitia omnino observanda esse declaramus, dummodo Ecclesiae vel gravis utilitas, vel aperta necessitas dispensationem non exposcat (2).

15. Ad exteros ordinandos quod attinet, ad nos pro ordinatione non accedant (3), nisi dimissorias Episcopi sui epistolas nobis exhibuerint. Si quis autem ex nostris subditis eo deveniat, ut sine nostris commendatitiis litteris ab alieno Episcopo ordinibus initietur, statim in suspensionem a susce-

---

(1) Hormisd. P. Epist. 4. cap. 1.

(2) Concil. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 13.

(3) Concil. Nicen. can. 16. — Concil. Serdicen. can. 18. — Concil. Calcedonen. can. 20. — Concil. Carthag. III. can. 21. — Concil. Trid. sess. 23. de Refor. cap. 8.

pto ordine exercendo (1) incurrat, aliasque poenas luet gravissimas.

16. Quos ad alienum nostris litteris Episcopum ordinandos dimisimus, atque fuerint ab eodem ordinati; recepti ordinis testimonium intra mensem ad nostram Cancellariam referant. Qui vero a Nobis promoti sunt, recepti ordinis testimonium a nostro retrahet Cancellario, illud pro temporis opportunitate exhibituri.

17. Ea omnia, quae de Regularium ordinatione Sedes Apostolica decrevit, serventur diligenter. Hinc suorum superiorum legitimas quisque litteras exhibeat, in quibus de ordinandorum aetate, ac Professione, de eorum vitae morumque honestate, de peractis spiritualibus exercitiis, de doctrina, de interstitiis doceamur, necesse est. Eorum etiam, prout expedire in Domino videbitur, doctrinam diligenti examine requiremus.

18. Quibus denique manus imposuimus, se se in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, in dispensationem mysteriorum Dei vocatos esse meminerint. Nos vero, cum ex dignorum sacerdotum electione vel maxime pendeat tum populi salus, tum Religionis incrementum; omnem Clerum, populumque hortamur, ut jejunium quatuor temporum, ad sanctos

---

(1) Trid. loc. cit. — Urban. VIII. const. secretis 35. — S. C. C. in Aversana 4. Decemb. 1666. — Concil. Mediol. IV. tit. de Sacrament. Ordin.

idoneosque ministros a Deo poscendos praesertim ab Ecclesia institutum, omni animi charitate, ope Sancti Spiritus implorata, nobiscum peragere studeant. Agitur enim de re omnium gravissima. Nam nihil infelicius, nihil Ecclesiae calamitosius esse unquam potest, quam eos habere ministros, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, et placere velle praesumunt (1).

---

(1) S. Bernard. in tract. de conversione ad cleric. cap. 19.

CAPUT X.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

—

1. Matrimonium, quod Deus, posteaquam Adae costam (1) aedificasset in mulierem, ita instituit, ut esset in officium (2) naturae, deinde etiam in remedium, Christus Dominus hoc tam sacrum peculiaris amoris vinculum, castimoniae perfugium, primum firmumque civilis elementum societatis, voluit esse quoque (3) Sacramentum; ut illud ostenderet aeterni amoris mysterium, quo ipse suam, e proprio latere sine macula efformatam, sponsam Ecclesiam fuisset semper amplexurus. Quod igitur erat pactio quaedam, ut perpetua inter homines societas firmaretur; nunc arctissimam Christi exhibet cum Ecclesia (4) conjunctionem; ac institutum est in Sacramentum, unde illa emanat gratia, per quam Conjuges sanctificantur, naturalis amor perficitur, atque indissolubilis unitas confirmatur (5).

2. Verum in tanta hujus temporis iniquitate in-

---

(1) Gen. 2. v. 18. 22.
(2) S. Thom. in 4. dist. 26. q. 2. art. 2. et 3.
(3) ad Ephes. cap. 5. v. 32.
(4) Concil. Lat. III. tit. de sponsal. — Eug. IV. in decr. Union. Armen. §. 5.
(5) Trid. Sess. 24. de Matrim. in principio.

fensi Ecclesiae homines multa prava et falsa ad catholicorum matrimonium penitus evertendum, tum verbis, tum scriptis undique disseminare, ac in vulgus edere non desinunt. Etsi a nostra Dioecesi tanta absit nequitia; tamen, cum error ejus naturae sit, ut nullum malum eo velocius pervolet, atque in hominum mentes blandius irrepat, ea, quae sequuntur, de Matrimonio declaranda, et praecipienda censemus.

3. Ut Matrimonium ineatur non more gentium, quae Deum ignorant, sed sicuti decet filios Sanctorum; Parochus de hujus Sacramenti dignitate et praestantia, nec non de ejus natura et effectibus juxta tridentinae Synodi doctrinas, saepe fideles edoceat, necesse est. Perspicue demonstrent Parochi, sacrique concionatores, Matrimonium non modo naturali, sed divina quoque lege positiva tum (1) institutum, tum indissolubile sancitum (2) esse: Christum etiam, cum homines ad eum, qui supra naturam est, statum Religione evhexerit, matrimonium naturale ad dignitatem extulisse Sacramenti; ita ut fideles, qui sunt membra Christi, in illo, qui supra naturam est, statu constituti, facere numquam possint, quin Matrimonium tale velint et ineant, quale Christus ipse instituerit, et iniri praeceperit.

---

(1) Gen. 27. 28. — Matth. 19. 6.
(2) Matth. 19. 9. — Concil. Trid. sess. 24. c. 6. 7.

4. Moneat fideles Parochus, ut ab eo caveant errore, qui Sacramentum Matrimonii a contractu civili tamquam ejus materia, ita pendere docet, ut, si a civili lege tollitur civilis contractus, tollatur etiam Sacramentum, quod materiam non haberet, ubi consisteret. Doceant contra Parochi, hujusmodi doctrinam esse stultissimum impiorum figmentum: — Nam materia (1) Sacramenti Matrimonii, non civilis, sed ipse est contractus naturalis, qui certe absolvi caepit, multo antequam ullae civiles societates constituerentur. Naturalis hic contractus materiam praebet tum contractui civili, tum Sacramento. Cum is contractus ab eo perficitur, qui tantum est civis, ejus Matrimonium tantum civilis contractus esse potest; atque ex eo genere sunt conjugia, quae ab infidelibus contrahuntur. Sed quando nuptias conciliat, qui simul civis et Christianus est, matrimonium simul efficitur contractus Civilis et Sacramentum: quia non primum a cive, deinde a Christiano, sed ab uno simul cive et simul Christiano contrahitur. Quare ut ut leges civiles impedimenta constituant adversus civilem contractum, nulla certe possunt constituere adversus Sacramentum; neque illo sublato, hoc etiam tollitur; perinde ac non amplius habeat materiam, in qua consistat. Haec enim est posita in

---

(1) Vide Inst. Canon. Joannis Devoti Sect. IX. de Matr. imped. §. 116. in notis.

contractu naturali, cui tamquam fundamento utriusque communi et proximo, tum contractus civilis, tum Sacramentum incumbit. —

5. Praeterea cum Ecclesia sit custos et judex Sacramentorum, et tamquam depositaria divinae Auctoritatis, et gratiae in Sacramentis; ipsa tantummodo potest ex jure formam (1) huic contractui praescribere, impedimenta statuere, et eas, quae ejus valorem ac licitam administrationem respiciunt, causas (2) dirimere.

6. Moneat inde Parochus, cum Matrimonium Sacramentum magnum sit, et figura unionis Christi (3) cum Ecclesia, maxima illud ineundum esse reverentia, et sanctimonia etiam in id, ut conjuges simul una cum liberis benedictionem, et felicitatem consequantur. Quare de triplici bono (4) conjugii, nempe de fide, de prole, de Sacramento, nec non de gravissimis obligationibus sponsos privata etiam institutione edoceat.

7. Ex veteri Ecclesiae (5) disciplina, Synodique Tridentinae (6) decreto matrimonia ineunda

---

(1) Pius VI. ad Epis. Moral. 16. Sept. 1788. — Concil. Trid. Sess. 24. de Matrim.

(2) C. Multorum 35. 9. 6. — Concil. Trid. sess. 24. de Matr.

(3) Matth. 22. 16. — Apoc. 19. 67.

(4) Can. Omnes 27. 9. 2. — S. Aug. de Virg. C. 5. et 7.

(5) Const. Galonis Episcopi Paris 1105. — Const. Odon. item Paris Ep. 1175. — Innoc. III. 1213. in cap. cum tua 27. de sponsal. — Concil. Lat. IV. 1215. Can. 51. — Concil. Parisien. 1429. Can. 32. — Concil. Colon. II. 1549. cap. Quod Matrimonium.

(6) Concil. Trid. sess. 24. de Matr.

populo denuntientur. Contrahentium Parochus, vel alius Sacerdos ex Parochi mandato, in magna populi frequentia, tribus diebus festis de praecepto ac continuis, non sibi tamen immediate succedentibus, hujusmodi habeat denuntiationes (1) quae sine nostra dispensatione, quam vix aliquando dabimus, umquam erunt, etsi gravis urgeat causa, nec omittendae, nec minuendae.

8. Ante autem denuntiationes inquirat Parochus, an sponsi probe noverint praecipua Christianae doctrinae capita, fidei rudimenta, eaque omnia, quae scitu sunt necessaria (2) ad salutem. Donec eos in horum ignoratione versari deprachenderit, caveat, ne eorum intersit Matrimonio sub poena suspensionis ipso facto incurrenda. Sponsos quoque adhortetur, ut ipsi, antequam denuntientur, ad Exhomologesim, si opus sit, etiam generalem faciendam accedant.

9. Si contrahentes diversas incolant Paroecias, in utraque ter peragendae sunt denuntiationes; neuterque Parochus matrimonio intersit, nisi de nullo (3) legitimum alterius Parochi testimonium habeatur impedimento. Praeterea denuntiationibus sine nostrae Curiae facultate non detur opera, si contrahentes in diversis domicilium habeant nostrae ipsius Dioecesis oppidis. Hoc in casu satis est, ut

---

(1) Concil. Lateran. IV. Can. 51. — Concil. Trid. loc. cit.

(2) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 8. c. 14. — Syn. Dioec. Elisei.

(3) Concil. Mediol. II. tit. 2. Dec. 26. — Concil. Colonien. II. 1549.

liber eorum status ex duobus testibus in Curia nostra innotescat. Si enim sint alienae Dioecesis, aut vagi, aut ignoti, aut etiam nostri, qui per sex continuos menses a Dioecesi abfuerint; certum legitimumque, antequam denuntientur, in Curia nostra exhibeant (1) testimonium. Si autem de ineundis agatur viduarum conjugiis; necesse est, ut ante denuntiationes de prioris conjugis obitu rite luculenterque (2) constet in Curia. Qui autem falsis fictisque testimoniis Curiam deceperint, gravissimis poenis plectentur.

10. Nec Parochus ineunda denuntiet Matrimonia, nisi sibi constet de legitima contrahentium (3) aetate, et nisi sponsi paschali praecepto satisfecerint. Caeterum, hujusmodi denuntiationes vanae inutilesque evaderent, si populo essent ignota tum ea, quae contrahendum impediunt, tum ea, quae contractum dirimunt Matrimonium. Hinc Parochus Matrimonii impedimenta sub illa, quam damus in Appendice (4), formula fidelibus identidem nuntiet; eosque moneat, de gravissima, qua quisque obstringitur, denuntiandi obligatione.

11. Si quod vel ante, vel inter ipsas denuntiationes impedimentum rescierit Parochus, denun-

---

(1) *Concil. Trid. sess. 24. de Matr. — Instruct. S. Inquis. 21. Aug. 1670.*

(2) *Cap. Dominus de secundis Nuptiis — Cap. In praesentia de Spons. et Matrim.*

(3) *Cap. Ubi non est. De Spons. impub.*

(4) *Vide Append. N.*

tiationibus intermissis, illud ad nos deferat; ut, quid agendum sit, juxta Canones statuere possimus. Si vero, postquam initum fuerit Matrimonium, innotescat impedimentum; conjuges non modo separari, sed etiam ab omni consuetudine sese continere debent, usque dum summus Pontifex ipsis gratiam fecerit impedimenti.

12. In id etiam vel maxime incumbant Parochi, ut in libellis ad dispensationem ab aliquo impedimento impetrandam exhibitis, nec verum reticeatur, nec, quod falsum fictumque sit, (1) exponatur. Dispensationis enim valor ab expositis pendet rebus. Pontificia autem impedimenti dispensatio, antequam executioni mandetur, ad nos deferatur, ut de veritate precum et causarum videamus.

13. Praeterea Parochus, quo die ultima peragitur denuntiatio, Matrimonio (2) non intersit, ne denuntiandi impedimenti aditus, praecludi videatur. Verum nec differatur nimis diu. Post duos a denuntiationibus elapsos menses, matrimonio nondum inito, denuntiationes iterum peragantur. Ab Adventu autem Domini usque ad Epiphaniam; et a feria IV. Cinerum usque ad totam Paschatis Octavam iniri conjugia (3) vetitum est, nisi nostra intercesserit auctoritas. Quo tempore, si veniam

---

(1) *Cap. Super. literis 20. de rescriptis collect. compon.*

(2) *Syn. Dioec. Elisei de Matr. n. 3.*

(3) *Can. Non oportet. 8. et seq. 33. q. 4. — Concil. Trid. sess. 24. cap. 10. de Matr.*

umquam dabimus, Parochus (1) benedictionem omittat in Missa, quam sponsorum gratia instituit Ecclesia: id quoque servetur usque, si sponsa sit vidua (2).

14. Qui sine legitimis denuntiationibus Matrimonium inire praesumpserit, accersito clandestine, aut dolose deprehenso Parocho, ejiciatur in carcerem, ubi poenam tribus mensibus non minorem, nec sex mensibus diuturniorem luat, eumque multae subjicimus, quae nec sit triginta scutatis minor, nec ultra quiquaginta scutata progrediatur. Testes autem, scienter praesentes, poena carceris damnabimus, quae nec duobus mensibus brevior sit, nec quatuor menses excedat: ac viginti scutatis eos multabimus, quae pro ratione culpae usque ad quadraginta scutata crescere in poenam etiam poterunt.

15. Praeterea non solum Parochus insectetur amores, quos tum ad futura sponsalia, tum ad assequendas nuptias, missis quoque muneribus, plurimi fovent, unde gravissima in familias, societatemque mala defluunt; verum etiam invigilet, ne sponsi ante initum Matrimonium, post sponsalia praesertim, remotis arbitris, colloquia (3) instituant; neque, quod maximum est, eodem (4) sub

---

(1) Concil. Trid. loc. cit. — Bened. XIV. Insit. 80. n. 11.

(2) Cap. Cappellanum 1. — Cap. Vir autem 3. de secund. Nuptiis.

(3) Concil. Mediol. IV. tit. de Matr. §. Itaque — Vide Rituale Rom. de Sac. Matr.

(4) Concil. Osnaburgen. cap. 20. de Matr. n. 3. — Concil. Trid. sess. 24. cap. 1.

tecto mansitent. Hujusmodi contubernium puritati, quam sponsi ad Matrimonii Sacramentum deferre debent, adversatur vel maxime. Nequit enim homo ambulare super prunas, ut non comburantur (1) plantae ejus. Post inita igitur sponsalia de hoc ipso sponsos, eorumque parentes a Parochis monendos volumus; et, qui in hanc legem peccaverit, ad nos deferatur; ut pro ratione culpae poenis tum sponsos, tum eorum parentes multare possimus.

16. Matrimonia non noctis tempore, nec sero, sed mane, non in domesticis aedibus, sed in Ecclesia (2) parochiali, nisi aliter nobis visum fuerit, celebrentur. Quae in Rituali Romano praescribuntur, ea Parochus omnia servet vel diligentissime. Si sponsi non ejusdem sint Paroeciae, mulieris Parochus juxta consuetudinem matrimonio intersit. Praeterea sponsi, ut Matrimonii (3) Christiani sanctitas requirit, scelerum puri, peccata confessi, ac Eucharistiam sumere parati, accedant oportet, ne gratia, quam hoc Sacramentum confert, misere careant, atque ut Sacerdotalem uberius accipiant benedictionem, quae in conjugiis tantum viduarum ineundis, vetitisque temporibus omittenda est.

17. Si quis infirmus, in mortis discrimine con-

---

(1) Proverb. 6. v. 27. et 28.

(2) Concil. Parisen. 1429. Can. 33. — Concil. Mediol. III. tit. de Matr. §. Matrimonium — Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de Matr.

(3) Concil. Mediol. III. tit. de Matr. in principio.

stitutus, in ea versetur conditione conscientiae, ut sibi Matrimonium ineundum sit; talesque sint temporis angustiae, ut nec liber ejus status probari, nec nos adiri possit; Parochus hujusmodi Matrimonio interesse non dubitet; ita tamen, ut, si infirmus convaluerit, ab uxore (1) separetur usque dum, quae a suprema Inquisitionis Congregatione praescripta fuerint, peragantur.

18. Non licet Conjugibus Christianis, non solum quoad vinculum, cum id indissolubile sit, sed etiam quoad communium officiorum domesticamque Conjugalis vitae societatem sese ullo (2) separare divortio. Si vero idipsum aliquando siverit Ecclesia; numquam tamen hoc fieri patitur privata auctoritate, sed per judicis sententiam. Verum curet vel maxime Parochus, ne Conjuges, discordia pulsi, dissocientur; nec maneant invicem disjuncti. Sedulam non deserat collocare operam, ut pacem conciliet. Si qui fuerint contumaces; a Sacramentis eos arceat, nosque de re certiores reddat.

19. Sit Parocho (3) codex, diligenter custodiendus, in quo sui ipsius, vel Sacerdotis substituti manu statim post celebratum Matrimonium, inscribat sponsi et sponsae, testiumque nomina et cognomina; nec non diem, annum, locumque, ubi

---

(1) Bened. XIV. Instit. 33. n. 13.
(2) Matth. 19. v. 3. 8. et seq. — Marc. 10. v. 2. et seq.
(3) Vide Rituale Romanum loc. cit. §. ultimo. 11

fuit celebratum conjungium annotare non omittat. Quidquid denique de Matrimonio praescribunt sacri Canones, Catechismus Romanus, Rituale, supremae Inquisitionis congregationis decretum, 24. Februarii 1847. editum, id omne a Parochis servetur quam diligentissime.

PARS TERTIA

DE PERSONIS ECCLESIAE

CAPUT I.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM, ET DE COLLATIONE CASUUM CONSCIENTIAE.

1. Quaere praestantiam, si quam potes, in terris, aut celsitudinem Sacerdotii dignitate sublimiorem. Honor sacerdotalis nullis poterit comparationibus adaequari (1). An forte quid in Angelis huic par invenies dignitati? — cui dixit Angelorum, quorum remiseritis peccata remittentur eis (2)? — Nonne etiam in sacerdotum manibus, velut in utero Virginis, Filius Dei quotidie incarnatur (3)? Magna igitur est, et immensa, et infinita Sacerdotii dignitas (4).

---

(1) Auctor de dign. Sacer. inter opera S. Ambrosii.
(2) S. Greg. Naz.
(3) S. Aug. hom. 2. in psal. 31.
(4) S. Ephrem de Sacerd.

2. Verum vitae integerrimos esse decet tali fungentes Sacerdotio, talique fruentes Sacrificio. Sacerdotes enim, quo sublimiores dignitate laicos supereminent, eo clariores sanctitate prae laicis effulgeant oportet. Hinc verba illa Christi — Sancti, et perfecti estote, sicut Pater meus Coelestis perfectus est (1), — ad Clericos, qui eo ipso vel nomine in sortem Domini vocati sunt, praesertim spectare, nemo est, qui non videat. Ipsi enim praestantissima sunt Christi membra; Mysteriorum dispensatores, fidelium magistri, mediatores ad Deum, Lucernae super candelabrum positae in domo Domini.

3. Hinc ut sacerdotalis dignitas in Dioecesi nostra, eo, quo decet, splendore servetur; atque ut clerus omnis, quid sibi interdictum, et quid sibi praescriptum sit, meminerit; nos juxta canones nonnulla ad tuendam augendamque disciplinam in medium afferre statuimus.

4. Decet clericos eo uti corporis cultu, qui luxu simul careat et sordibus, ne contemptum aut invidiam pariant. — Ornatus, ait Hieronymus, (2) et sordes pari modo fugiendae sunt. Illi etiam levem faciunt Clericum, istae contemptibilem reddunt. —

5. Alienum est a gravitate viri comam nutrire, alienissimum a gravitate Clerici, qui comam in

---

(1) Lev. 19. et Matth. 5.
(2) Ep. 52. ad Nepot.

Dei honorem deponendam dederit (1). Immo nec coma fictitia sine Episcopi venia (2) utatur clericus; et eam in sacro faciendo non gestabit (3) sine apostolicae sedis facultate.

6. Quemadmodum Clericus dignitate ministerii sui effulget in Ecclesia, ita virtutum splendore caeteris debet exemplo esse. Opes, si quae supersint, praeter decentem sui tuitionem, ad pauperum levamen, divinique cultus fulgorem conferat. Crapula (4) et ebrietas summopere dedeceret. Si quis forte sacerdos ei indulgeret, ab ecclesiastico quoquo munere exercendo prohibebitur; Clericus, in minoribus constitutus, arcebitur a sacris Ordinibus suscipiendis. Tabernas et popinas vitent Clerici, nisi forte sint ex necessitate, aut itineris causa compulsi. Nuptiales quoque (5) epulas, et convivia liberorum (6) hominum fugiat Clericus; Caetera raro adeat — Facile enim, ait S. Hieronymus, comtemnitur clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire non recusat: nunquam petentes, raro accipiamus rogati. (7) —

7. Clamorosae, ut ajunt, venationis genus Cle-

---

(1) Pont. Rom. de Cleric. fac. — Can. Prohibete 20. — Can. Clerici 21. — Can. Non liceat. dist. 24.

(2) Concil. Rom. tit. 16. cap. 3. — Ex decr. Innoc. XI — Bened. XIII. — Clem. XI. — Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 2. c. 9. n. 5.

(3) Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 9. §. 5.

(4) Cap. a Crapula.

(5) Concil. Agat. in can. 19. dist. 34.

(6) Concil. Aquisgr. cap. 49.

(7) S. Hierony. Ep. 2. ad Nepot.

mus a malo, et a specie mali, Clerici non modo integri vitae, scelerisque puri sint, sed omnem etiam aliorum offensionem suspicionemque declinent. Huc referenda sunt, quae sanxerunt sacri canones de vetita cohabitione Clericorum cum mulieribus. Excipimus consanguineas, et affines in primo, et secundo gradu, dummodo arcta cognatio cum bonae famae integritate omnem suspicionem excludat. Quod si, potius quam famuli Clericus ad domesticas res obeundas famulae ministerio indigeat; ea sit, quae integritatis fama diu probata ad quadragesimum annum aetatis (1) pervenerit. Extranearum mulierum domum Clericus non frequentet, nec eas ad se ventitare sinat; nec eas legere, et scribere doceat. Ea revocet, quae ad Nepotianum S. Hieronymus scribit — Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, ut Virgines Christi, aut aequaliter ignora, aut aequaliter dilige. Nec sub eodem tecto mansites; nec in praeterita castitate confidas. Nec David sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod Paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit. (2) —

11. Et quoniam ad laborem nascimur, turpe est, otio vitam obruere; turpissimum id esset Clericis; qui ideo confabulationes, et moram ad solatium in officinis fugiant; et si cum laicis, ut ait

---

(1) Bened. XIV. Inst. 82. N. 2. et 3.
(2) S. Hierony. Epist. ad Nepotianum.

S. Hieronymus, familiaritate conjungantur, eos eligant, in quibus nulla possit malae conversationis esse suspicio. Parati semper esse debent, quo necessitas eos, aut Charitas advocaverit, statim accurrere.

12. Nemo, ait Apostolus (1), militans Deo, implicet se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit — Quare Clerici altioribus, et sublimioribus intenti, abstinere sese debeant a saecularibus negotiis, atque muneribus tutoris, et curatoris, nisi pro pupillis, et minoribus proxime propinquis, sed nobis semper consultis. Notarii, procuratoris et advocati partes non agant in Curiis laicis, nisi pro se, pro sua Ecclesia, pro egenis, pro propinquis, si necessitas urgeat, nostraque cum venia, sine qua neque magistratus, neque consiliarii municipalis munus suscipiant. Ab administrandis laicorum bonis (2) et a quocumque famulatu exhibendo vel gratuito vel mercede, et pro iis fidejubendo sese debet abstinere. Testimonium in laico tribunali ferre non poterit sine venia nostra, et cautelis sacrorum canonum.

13. Praesertim caveat Clericus ab omni turpi lucro, et quaestuosa (3) negotiatione, et cambiis activis ceterisque hujusmodi, etiam sub alieni no-

---

(1) ad Tim. c. 2.

(2) Const. Clem. XIII. 1759. cum primum.

(3) Can. 9. dist. 88. — Clem. I. §. adversus de vita etc. — Concil. Trid. sess. 22. de refor. — Bened. XIV. Const. Apostolicae — Alex. III. — Clem. XIII.

minis involucro, et per interpositas personas. Multa item sunt praeter negotiationem lucrativam, quae Clerico facere interdicuntur, ut alienos agros, et praedia, fructus, decimas, vectigalia conducere, et quosdam alios contractus inire, aliaque facere, ut pro cujuscumque norma in appendice tradi (1) curavimus. Ceterum, poenae in clericum beneficiatum, vel in sacris constitutum, qui negotiationem exercere audet, sunt excommunicatio, suspensio ab officio (2), ac depositio a gradu, et ordine; poenae, inquam, ferendae sententiae. Alii vero clerici negotiatores tum a sacris ordinibus suscipiendis, tum ab officiis et beneficiis incundis arcendi sunt.

14. Nunc quae Clericis praecepta, ac praescripta sunt, attingemus. Et primum quidem detonsum circulum, seu Clericalem coronam tonsurae, proprio ordini congruentem, in medio capitis vertice gestet clericus; et simplici, mundo, nigrique coloris habitu indutus incedat (3). Sit vero talaris vestis clerico cujuscumque gradus, et ordinis, cum templum, vel ad psallendum, vel ad sacramenta administranda, vel ad sacrum faciendum, aut ad alias Ecclesiae functiones peragendas adeat. Qui

---

(1) Vid. Append. N.

(2) Cap. c. de Usuris. — Cap. Interdictos — Can. Maritum dist. 33. — Can. si quis — Can. de Petro dist. 47.

(3) Concil. Rom. Rit. 16. c. 3. — Sixtus V. Const. cum Sacrosanctam — Urban. VIII. — Inn. X. — Inn. XII. — Can. 25. de vita et hon. Cler.

huic mandato non obtemperet, non levi poena multetur. Rectores etiam Ecclesiarum, si conniventes hac in re fuerint, graviter punientur. Sacerdotes aut rusticantes, aut ad sacrum in Ecclesiis Campestribus faciendum proficiscentes, talari veste in earum sacrario indui poterunt. Aliis vero temporibus sinere censemus, ut breviori, quae nunc est in more, utantur veste. Collare etiam linea taenia, nullo artificio elaborata (1), obductum, semper gestet Clericus extra domum. Sit illi quoque pileus triangularis, et cetera indumenta, quae probatus usus graviorum virorum Ecclesiasticorum et leges ecclesiasticae sanxerint. Anulum, quamvis ex gradu honoris, aut ex officii ratione Clericus illum deferat, in celebratione Missae deponat (2).

15. Perpetuam Clericus in sacris constitutus, ex voto ordini adnexo, jubetur servare castitatem. Recogitet enim nihil sibi turpius, nihilque perniciosius esse, quam integra santae castimoniae fama non pollere, quae in ejus opere et sermone ad fidelium exemplum semper, et ubique praefulgeat necesse est.

16. Praecipitur etiam canonicarum attenta, studiosa, et pia horarum recitatio, per quam sacerdos, tamquam mediator inter Deum, et homines, ad beneficia pro populo impetranda, ad gratias a-

---

(1) Ita S. Carolus Borromaeus.

(2) Concil. Rom. de vita et hon. Cler. — Bened. XIV. Notif. 34.

gendas, ad omne calamitatum genus arcendum accedit ad Dominum, qui eum ab omni populo separavit, etiam in id, ut sacrificet sibi sacrificium laudis.

17. Canonicam praeterea clericus Episcopo suo exhibere tenetur obedientiam in iis, quae ad acta, et decreta, ad mores et monita, ad divinum cultum, officium, sacramenta, et ad Episcopalia jura pertinent (1). Gravissima haec clericus ad Nepotianum S. Hieronymi verba sibi tollat memor: Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animae parentem suscipe (2). Episcopum etiam ea, quam jam spopondit, reverentia, et veneratione prosequatur sacerdos. At lingua reverens et officiosa semper animo, mentique satis ingenuae respondeat. Si quis tam elato inflatoque animo sit, ac tanta arrogantia tumidus, ut, vacuum altius tollens caput, ordinarii sui monita, mandata, et nomen temere despuat, aut ludibrio habeat; noverit, se, praeter infamiae notam, quam propriae irrogat famae, in Dei judicium durissimum ruere voluntarium, cum scriptum sit — nolite tangere Christos meos. —

18. Iis, quibus inscribi voluerunt, Ecclesiis Clerici ea, qua par est, diligentia inserviant; illasque, nobis inconsultis, deserere sibi interdi-

---

(1) Can. quia frater. 18. 7. q. 1. — Can. 16. de Offic. jud. ord.
(2) S. Hierony. Epis. ad Nep.

ctum esse sciant (1). In tradendis fidei rudimentis parochis praesto sint. Omnibus Civitatis Clerus pontificalibus intersit, et Eucharistiam de manu Episcopi feria V. in Coena Domini unusquisque suscipiat. Cum sacris clericus interesse debeat functionibus, talari veste, et superpelliceo semper indutus, chorum ingrediatur, nec ibi dormitet, colloquatur, nugetur, nec literas legat. Nec festinanter, nec praecisis vocabulis, sed, ubi asteriscus est, pausans, divinas laudes persolvat. Nec vero, nisi Missa solemnis fuerit incoepta, cantum inchoet, nec e choro discedat, nisi Missa sit persoluta. Nec autem, nisi dato jam aeris campani signo, post intervallum populi commoditati satis congruens, Missam privatam inchoare audeat, cujus quidem celebrationem, tempore, quo sacra aliqua peragitur functio, vetitam volumus. Subsidiariam etiam, si necessitas, aut cujuscumque fidelis pietas postulat, praesertim in audiendis infirmorum confessionibus, operam Parochis praestet. Qui vero in his deliquerint, pro culpae ratione poenam luent.

19. Cum autem Clericus, qui ordinem suscipit, super plebem constituatur gradu ordinis; hinc jure optimo praescribitur, debere sic eum excellere virtutibus, ut omnibus (2) superior sit meri-

---

(1) lib. 2. cap. 5. n. 4.
(2) S. Thom. q. 33. a. 4.

to sanctitatis. Unde S. Hieronymus ait (1) — clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem. — Haec autem sita est in conformatione voluntatis propriae in voluntate divina per vitiorum fugam, et per virtutum exercitium.

20. Ut necessariam sibi assequatur clericus sanctitatem, frequens et assiduus sit in oratione vocali — Invocabit enim, et veniet in eum Spiritus Sapientiae (2). — Cum vero rerum coelestium, et spiritualium commentatio regat affectus, dirigat (3) actus, corrigat excessus, in sancta matutina clericus quotidie haereat meditatione, sine cujus ope, ipse militi sine armis, avi sine pennis, et equo sine fraeno, non immerito comparatur. Uberrimos quidem fructus ex S. Caroli, S. Francisci Salesii, S. Alphonsi de Ligorio, et praesertim ex Thomae a Kempis opusculis, se consecuturum esse, pro certo habeat.

21. Ad animi sensuumque motus componendos, cogitare debet Christifidelis, et maxime Clericus praesentem esse Deum — Quando dormiturus es, ait Chrysostomus, quando irasceris, quando deliciaris, et quiquid tandem (4) feceris, cogita adesse Deum. — Confessionis sacramento animam suam mundare per singulas hebdomadas satagat. Sacerdos omnibus Dominicis aliisque saltem diebus

---

(1) Ep. 58.
(2) Sap. 7.
(3) S. Bernar. de Cons. l. 1. c. 17.
(4) Hom. 8. in Phil. 2.

festis divinam (1) immolet victimam; cujus vero quotidianam valde commendamus immolationem, a qua omnes gratiarum fontes in immolantem ipsum, et in universam promanant Ecclesiam. Diaconi vero, et Subdiaconi omnibus Dominicis aliisque diebus festis; Clerici vero in minoribus constituti bis in mense sese poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis expiare curent.

22. Vacent etiam clerici exercitiis (2) spiritualibus. Canonici dum ea extra adventum et quadragesimam solemnioresque dies festos peragunt, non punctentur, et parochi a residentiae (3) lege absolvantur. Verum facere non possumus, quin gratulemur omnibus Dioecesis nostrae Presbyteris, qui tam alacri libentique animo ita nostrae sollicitudini respondent, ut omnes et singuli huic pietatis officio vacent. Se totum Mariae Virgini Clericus dicet, eamque singulari pietatis officio colat. — In ea enim totius boni (4) plenitudinem posuit Deus, ut proinde si quid spei nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare — Vespertina etiam visitatione Clericus ad Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adorandum quotidie accedat; et in sacratissimi Cor-

---

(1) Bened. XIV. de Sac. Mis. l. 3. c. 1. n. 9.

(2) Clem. XI. Ency. 1. Febr. 1710. — Bened. XIV. Const. Ubi primum. 3. Decemb. 1740. — Ency. SS. D. N. P. Pii IX. Qui plac. 9. Novem. 1846. §. cum autem.

(3) Encyc. Inn. XI. — Clem. XI. — Bened. XIV. et Pii VI.

(4) S. Bernard, ser. Dom. infra Oct. Assumpt.

dis Jesu cultum fidelium animos inflammare non omittat.

23. Cum ignorantia vix in laicis ferenda esse videatur; haec quidem foret nec excusatione, nec venia digna in sacerdotibus (1), qui debent esse lux mundi, et sal terrae (2). Ad sacras igitur humanasque disciplinas diligenter incumbant Clerici: Dogmaticae, et Morali Theologiae egregiam navent operam: sacram scripturam, sacrosque canones, ac ecclesiasticam historiam assidua lectione volutent; sacros ritus, et coeremonias, Ecclesiaeque cantum, quem Gregorianum vocant, ediscant; hujusque Synodi Constitutiones, quam saepissime perlegant. In anniversaria vero suae ordinationis die, quidquid per os Episcopi ordinantis dictum fuit, secum ipsi recogitent Sacerdotes, sibique consulant.

24. Verum cum sacerdotis (3) sit legem scire, et ad interrogationem respondere de lege; sicut jam Leviticus ordo in quaestionibus de lege, de mandato, de coeremoniis jussus erat, fratribus ostendere, quid fieri oporteret, ne peccarent in Dominum (4): hinc sapienter institutae sunt Congregationes, in quibus sacerdotes, simul una collecti, scrutantur testimonia Domini, perspiciunt in mandatis ejus, sacramque morum pensitant,

---

(1) S. Leo Ep. 24.
(2) Matth. c. 5. v. 19.
(3) S. Hierony. in cap. 2. Aggae.
(4) 2. Paralip. 19. v. 10.

atque consequuntur disciplinam. Nos igitur quidquid in Dioecesi nostra de Congregationibus his jam decretum fuit, confirmantes, praecipimus, ut tum in civitate, tum in oppidis, ubi residet Vicarius foraneus, quem hujusmodi coetibus, et eo absente, Parochum praeficimus, eae habeantur in cujuslibet mensis principio feria V. et, si quid est impedimenti, alia feria sequenti, congregationes; in quibus et de Morali Theologia, et de sacra Liturgia aequa judicii lance ponderentur, atque expediantur quaestiones. His igitur coetibus intersint omnes Canonici, omnesque Sacerdotes, et Clerici. Singuli sacerdotes, quid de morali casu, et quid de quaestione liturgica sentiant, scripto tradant. Post autem lectam discussorum in postrema congregatione casuum resolutionem, unus pro casu morali, alter pro quaestione liturgica, ex urna sorte deducti suam quisque scriptam de casu opinionem ac de quaestione liturgica recitent. Hinc cuiquam data sit falcultas verba de proposita materia faciendi, difficultates excitandi, unam vel alteram impugnandi sententiam, eo quidem animo, ut magis magisque veritas elucescat. Deinde nobis absentibus Canonicus Poenitentiarius in Civitate, et Vicarius foraneus, ac, eo absente, Parochus in Dioecesi, postremam suam his de Casibus sententiam dicat, ad quam impugnandam assurgere liceat nemini. Hinc a Congregationis secretario sunt tum praesentium, tum absentium nomina inscribenda; ac singulorum folia, ubi suam quisque

scripserit sententiam, una cum praesentium absentiumque nominibus ad nostrum Vicarium Generalem deferenda. Qui vero sine legitimo abfuerit impedimento, si sacerdotes sint, poena pro ratione culpae irroganda multentur; si autem sint clerici, qui nostrae huic constitutioni parere recusent, ab Ecclesiasticis beneficiis, et ab altaris ministerio rejiciantur; cum per Oseam scriptum sit — quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. (1) —

25. Monitos etiam volumus sacerdotes, ut, ad magis in sanctorum scientia proficiendum, saltem semel in mense, vel in sacrarium, vel in alium commodiorem locum simul una conveniant; ubi sese meditationis recreent dulcedine, ac attenta alicujus vel polemici, vel dogmatici auctoris lectione; nec non ex moralis Theologiae, officiique clericalis tractatibus aliquid attingendum curent. Horae autem spatium hujusmodi conventus non excedat.

---

(1) Osea 4. v. 6.

CAPUT II.

DE CAPITULO, ET CANONICIS

—

1. Nunc nostri muneris sollicitudo, et synodicarum praesertim institutionum ratio postulat, ut de nobiliore Cleri parte, seu de Ecclesiae nostrae Canonicis verba faciamus. Cum quidem Canonici non solum fuerint ad quotidianum psalmodiae sacrificium offerendum Deo, et ad ecclesiasticam fovendam augendamque disciplinam (1) instituti; sed etiam in partem pastoralis nostrae sollicitudinis vocati: unde adjutores Episcopi, propriae Ecclesiae (2) senatus, et regula Cleri non immerito nuncupantur; secum ipsi vel saepissime recogitent, quid umquam sibi agendum sit, ut suae institutioni, dignitatique respondeant.

2. Hinc, sicuti caeteros omnes, qui sese in Ecclesia nostra divinis mysteriis devoverunt, dignitatis gradu Canonici (3) praestare solent; ita in eo, quo decet, honore ab omnibus habendi sunt: quin imo, ut ea, qua par est, reverentia illos quisque prosequatur, adnitemur. Verum quo illustriorem obtinent dignitatis locum, eo clarioris pie-

---

(1) Concil. Trid. sess. 24. c. 12. de Ref.
(2) Concil. Trid. loc. cit.
(3) Ex S. Greg. l. 7. Epist. 117.

tatis studio doctrinaeque splendore praeluceant; atque in sacris rebus peragendis solertia, morum integritate ac innocentia, canonum rituumque custodia, et in Dei servitio cultuque diligentia omnibus antecellant oportet; ita ut eos nostrae Ecclesiae decus et ornamentum haberi, nec non gaudium, nostramque coronam dici laetemur. Ut vero tam illustris Cleri pars ab accepti honoris fastigio numquam declinet, nec a recto tramite divertat; sed ut suae semper dignitati par sit integritas disciplinae, haec decernenda duximus.

3. Cum a Canone nomen duxerint Canonici, quoniam observandis (1) ecclesiasticis regulis, sese caeteris arctius, devoverunt; hinc ut suo nomini regulari vitâ respondeant, unumquodque Capitulum proprias servet regulas, seu constitutiones. Verum Canonicorum collegia suas ad examen revocent constitutiones, nobisque infra sex menses a publicatione hujus Synodi approbandas exhibeant.

4. Dignitates et Canonici, ubi possessionem ceperint, coram nobis et Capitulo juramentum edant tum de bonis et juribus Ecclesiae et Capituli sibi tutandis, tum de ejusdem Capituli statutis servandis. Infra autem duos menses coram nobis et Capitulo, ut fructus possint facere suos, fidem profiteantur: cujus fidei professionis, nec non jura-

---

(1) Ivo Carnot. Epist. 59.

menti formulas damus in appendice (1). In peculiari autem libro non solum cujusque Canonici decessus, aut Canonicatus renuntiatio, cum anni et diei notatione, inscribantur; sed etiam de novi Canonici possessionis, fidei professionis, praestitique juramenti tempore inscriptio fiat.

5. Praecipuum Canonicorum munus est, ut ipsi fungentes Angelorum vice, statis horis extollant voces suas in sancta et benedicant Domino. Hinc non ex necessitate, (2) sed voluntarie sacrificent Deo sacrificium laudis (3), psallentes spiritu, psallentes (4) et mente. Vultu igitur ad pietatem composito, chorali induti habitu, et saltem solemnioribus festis bini e (5) sacrario exeuntes, ad Chorum accedant non modo ut sanctissimum (6) Deo cultum tribuant; verum etiam ut a Deo ipso et sibi et aliis omne bonum deprecentur. Caveant ne nimia praecidant celeritate vocabula, sed sine caudis (7) pausent in cujusque asterisco versiculi; nec a parte chori cantus inchoetur, nisi fuerit a parte altera absolutus. Colloquia, risus, nugae, contentiones absint a choro. Nefas etiam sit in choro dor-

---

(1) Vide appendicem N.

(2) ad Corinth. q. v. 7.

(3) Psal. 53. v. 8.

(4) 1. ad Corinth. 14. v. 15.

(5) S. C. R. in Vicent. 16. Junii 1628. — S. C. C. In Salernit. 27. Sept. 1732.

(6) Concil. Mediolan. prov. 5. part. 3.

(7) Concil. Basilean. sess. 21. — Concil. Senonens. 1527. cap. 18. — Clem. XI. in Ep. ad Epis. Italiae 1703.

mitare, libros literasque legere (1), sese a cantu abstinere, submissaque voce (2) psallere, Caeremoniarum non obtemperare magistro, et, nisi ex necessitate, a choro discedere. Qui in haec peccaverit, a chori praefecto monendus est, et juxta constitutiones punctandus. Videant Canonici, ne officium B. M. Virginis et Defunctorum, psalmos poenitentiales et graduales, diebus in rubrica statutis, juxta laudabilem, quae in nostra Cathedrali Ecclesia viget, consuetudinem recitare omittant.

6. Designetur Punctator, qui notet absentes, ut eo, quo par est, distributionum emolumento priventur. Punctatori absenti per suffragia sufficiatur alter. Si hic absit, succedat Canonicus senior. Punctator de munere suo fideliter obeundo coram Vicario generali in Civitate, et coram Vicario Foraneo in Dioecesi juramentum (3) emittat; et cuivis Canonico postulanti punctationum libellum exhibere praesto sit. Verum Canonicus Theologus, Poenitentiarius, et Parochi, cum suo quisque fungatur munere; Canonici infirmi, aut qui sunt non adhuc confirmata valitudine; item qui in Civitatis (4) Ecclesiis Episcopo sacra peragenti inserviunt;

---

(1) Concil. Basilean. sess. 21. cap. 3. — Concil. Avenionen. 1594. c. 34. — Concil. Narbonen. 1609. c. 30.

(2) S. C. C. 7. Jun. 1726. et in Squillacen 17. Mart. 1714. Hujusmodi Canonici distributionum emolumento privantur.

(3) S. C. C. in Moraten. 26. Ap. 1664. et in Senef. 13. Julii 1686. — Bened. XIV. de Syn. l. 4. c. 3. — Synod. Elisei sess. 4. c. 4.

(4) Bened. XIV. Not. 107. §. 9. — S. R. C. In Ragus. 16. Mart. 1638. et in Comacen. 29. Nov. 1698.

qui exceptis Adventus et quadragesimae temporibus festisque solemnioribus, piis exercitationibus per decem dies vacant; aut qui sacram aedem Lauretanam et S. Petri limina adeuntes, peregrinantur, sed hi tantum per quindecim dies, tamquam praesentes habeantur, nec sint punctandi. Vetitam volumus sub puncturae poena divinorum officiorum tempore cujusque Canonici Missae (1) celebrationem, nisi aliter postulet magna populi, per Canonicum Sacristam recognoscenda, commoditas.

7. Missa conventualis, quae nobilior divini officii pars est, singulis diebus pro vivis, vitaque functis benefactoribus (2) decantetur; omnesque sacrum peragenti Canonici respondeant; nec non Confessionem, Kirie Eleison, Hymnum Gloria, Credo, Sanctus, Agnus Dei una cum sacrificante bini ea, qua decet, recitent pietate. Canetur etiam alia secunda Missa in Quadragesima et in singulis vigiliis, in Rogationibus, et in festo S. Marci, et a Dignitate in die commemorationis omnium defunctorum: aliaeque canendae sunt diebus anniversariis pro Electione et Coronatione summi Pontificis, et pro Consecratione Episcopi hujus Ecclesiae. Item alia canatur anniversaria pro ultimo (3) Episcopo defuncto, et aliae duae pro omnibus E-

(1) *S. C. C. an. 1573. Eadem S. C. 14. Mart. 1620. — In Callien. 29. Jan. 1628. — In Oriolen. 25. Mart. 1632. — In Ortonen. 27. Febr. 1706. — In Salernit. Edictor. 27. Sept. 1731.*

(2) *Bened. XIV, et S. C. C. in Veliterna.*

(3) *Vide titulum de funeribus.*

piscopis et Canonicis nostrae Ecclesiae defunctis, ut de more est, intra omnium Sanctorum Octavam.

8. Hinc ad cantum, quem Gregorianum vocant, addiscendum incumbant Canonici. Sed ne dissonetur in cantu, sint quidam, aut Canonici, aut Clerici constituti, qui psalmos et missas eo, quo decet, ritu praecinant. Hoc ille praesertim Clericorum chorus fungatur munere, qui ex Stephano Scerra Archiepiscopo Ancyrano institutore, Ancyranus vocatur.

9. Servetur Capituli nostri statutum, quo Canonici possint inservire per substitutos: quod est etiam juxta decretum S. C. Concilii in Eugubina 15. Decembris 1605. Ad Constitutionum normam Capitularia comitia celebrentur. Non autem divinorum officiorum tempore, nec extra Capitularem (1) locum sunt habenda. Ad haec ii omnes accedant Canonici, qui in sacris (2) constituti sunt, iisdem, quibus in choro utuntur, vestibus induti. Generalia comitia singulis quatuor mensibus, specialia vero cum necessitas postulaverit, habeantur. Qui non intersunt, et qui comitiis nondum absolutis discedunt, punctentur perinde ac die illa Choro non adfuerint. Seniores in primis, deinde juniores sententiam dicant. Absint clamores, convicia, scurrilisque dicacitas. Liberum cuique sit suffra-

---

(1) S. C. C. In Oriolen. 27. Mart. 1632. ad 11.
(2) Concil. Trid. sess. 22. c. 4. de Refor.

gium, et semper secretum sub poena nullitatis. Nemo quidquid in Capitulo agitur, foras audeat eliminare. Nemo munia sibi demandata, justis sine causis a Capitulo recognoscendis, recuset: ad quae suscipienda sine causa recusantem etiam poenis compellemus.

10. Inter officiales eligantur etiam Procurator seu Camerarius, magister Caeremoniarum et cantus Gregoriani, Archivista, Syndaci, Secretarius et praefectus Sacrarii, qui de munere diligenter implendo juramentum edant. Praefecto Sacrarii cura sit de Ecclesiae, altariumque nitore, et ornatu, et de omnis sacrae suppellectilis decentia et munditie. In sacrario clamores, strepitum, laicorumque praepediat accessum. Æditimis, aliisque, qui Ecclesiae inserviunt, diligenter invigilet, ut proprio quisque fungatur munere. De omnibus Ecclesiae rebus Synopsim conficiat, cujus exemplum in Capitulare deferat tabularium. Tum vero Canonicus Camerarius, tum praefectus Sacrarii, anno exeunte, suae quisque administrationis rationem reddant.

11. Caeremoniarum magister curet vel maxime, ut sacris in omnibus Ecclesiae functionibus ritus ea, qua par est, expeditissima ratione peragantur. Cantus autem gregoriani Magister psallentes et cantores dissonos moneat; totumque in cantu tonoque chorum regat ac temperet.

12. Canonicus a secretis ea sit diligentia, ut tum acta Capitularia per se in codice descripta,

tum accepta documenta in Capituli tabularium deferat. Capitulare etiam signum, suae creditum fidei, diligenter custodiat, ne quis eo possit abuti. Caveat, ne negotium, ne documentum seu testimonium, ne cujusvis scripturae exemplar, Canonicorum nomine, ac privato cujusquam Canonici, etiam dignitatis consilio, sine Capituli mandato conficiat. Si in haec peccaverit, poena, quae culpae gravitati respondeat, multabimus.

13. Cuivis Canonicorum collegio sit tabularium, geminis munitum seris et clavibus, quarum altera a Dignitate, altera ab Archivista sit semper habenda. Omne scripturarum genus omnesque Capituli codices, in eo asserventur, diligenterque custodiantur. Si quid Archivistae negligentia amissum fuerit ac disperditum (ipse enim de scripturarum numero, et conservatione Capitulo rationem reddere teneatur) poenas pro modulo culpae irrogemus. Officiales denique omnes in suo quisque munere confirmari sine nostra licentia ultra biennium non poterunt.

14. Omnes denique perinsignis collegiatae Castilionis Ecclesiae canonicos alloqui pulchrum est, nobisque jucundum. Meminerint ipsi in id electos esse, ut uno animo in templo Dei laudes in ore habeant, jugique canore praedicent; ac virtute, doctrina, animi integritate, morumque splendore fidelibus praefulgeant. Enitantur igitur nascentis Ecclesiae aemulari ministros, quorum erat cor unum, atque anima una; qui perseverabant unani-

miter in orationibus, collaudantes Deum, et gratiam habentes ad omnem plebem, ita ut, qui ex adverso erant, obmutescerent. At de hoc Canonicorum Capitulo nihil addendum putamus; cum omnia onera ferenda in ejus reperiantur constitutionibus, quas infra sex menses ad nos mitti volumus approbandas.

CAPUT III.

DE PAROCHIS

1. Ad Parochos, in partem vocatos sollicitudinis nostrae, nostrosque in vinea Domini adjutores, nunc studia nostra convertimus; praesertim cum in solerti officii sui administratione spes nostra, gregisque salus conquiescat. Nam si fuerint suo muneri strenue sancteque functi, nostras quoque curas, atque assiduos, quos ad quaerendam animarum salutem diu noctuque conferimus, labores irritos cadere non pertimescimus. Magna quidem est et praeclara in Ecclesia Parochorum dignitas, qui populum in aeternae viam salutis dirigendum suscipientes, nobisque dati, tamquam Ministri paraeciis praeficiendi, septuaginta discipulorum, quos apostolis adjunctos esse scimus, similitudinem referunt.

2. Sed grave profecto ac formidandum est onus, quod ipsi suscipiunt; cum ars (1) artium, et scientia scientiarum, ac periculosi plenum laboris opus sit regimen Animarum. Attamen hujusmodi onus facile ferent; concreditoque muneri satis apte recteque respondebunt, si serio haec per-

---

(1) S. Thom. in Epist. ad Hebr. c. 13. — S. Greg. in Pastor. p. 1. cap. 1.

pendant Tridentinorum Patrum verba, quibus edocentur pastores — Oves agnoscere, (1) pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munera pastoralia incumbere — Cum haec sane totam exhibeant Parochis agendi rationem; nihil aliud nostri pastoralis muneris sollicitudo postulat, quam eos hortari, ut ea Parochi semper ante oculos habeant, et de iis ex officio efficiendis vel saepissime secum ipsi recogitent.

3. Atque ut, qui renuntiati sunt Parochi, fiant forma gregis ex animo, fidelesque mysteriorum Dei dispensatores (2); nos per viscera Domini nostri Jesu Christi eos monemus; ut, antequam salebrosam officii sui administrationem suscipiant, quaerant in solitudine (3) Dominum. Quare per aliquot dies in religiosa quadam Domo spiritualibus vacent (4) exercitiis, gratias tanto muneri obeundo pares a Patre luminum impetraturi.

4. Et quoniam, nisi continuo ovibus praesto essent, munere suo, ut decet, defungi non possent; sint Parochi in residentiae lege servanda (5)

---

(1) Concil. Trid. sess. 23. cap. 7. de Refor.
(2) 1. ad Corinth. 4. v. 1.
(3) Psal. 54. v. 7.
(4) Concil. Mediol. IV. p. 3. tit. de vita et hon. Cler. — Edict. de mandato Inn. XII. 23. Jan. 1699.
(5) Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. — sess. 23. cap. 1. de Refor.

religiosissimi. Domum (1) incolant parochialem prope Ecclesiam; nec hanc sine nostra venia deserant, ut aut in propria, aut in parentum domo inhabitent, licet sita sit intra Paroeciae (2) fines. Sacri etiam Canones Parochos a paraecia sua ultra biduum abesse (3) vetant, relicto semper in sui vicarium Sacerdote, ad audiendas probato confessiones. Pro diuturnioribus vero induciis licentiam, a nobis scripto dandam, postulent, non autem pro sacro Adventus et Quadragesimae tempore, nec pro solemnioribus anni festivitatibus, suffragaturam. Sciant tamen nos fore sollicitos, ut congrua parochialium fructuum subtractione Vicarium sufficiamus. Qui in hanc residentiae legem peccaverint, meminerint tum de fructuum subtractione, intentandisque censuris, tum de ipsa Paroeciae abdicatione; quae omnia sacri Canones, Concilia, (4) summique pontifices decreverunt. Nos autem canonicis hujusmodi poenis, si opus fuerit tamquam remediis, uti non dubitabimus.

5. Praeterea, cum Parochus pro grege suo constituatur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis; tum tridentini decrevere Patres, ut inter praecipua Parochorum munera recenseretur sacrificii oblatio. Omnibus i-

---

(1) S. C. C. In Fulginaten. 19. Novemb. 1718. — 13. Jun. 1720. — In Tarraconen. Residen. 24. Mart. 1736.

(2) S. C. C. In Pontis Corvi Resid. 20. Decembr. 1755.

(3) Concil. Rom. 1710. tit. 17. cap. 6.

(4) Concil. Trid. loc. cit. — Pius V. Const. Cupientes.

gitur diebus festis non solum de praecepto, sed iis etiam festis, in quibus (1) servilibus vacare operibus Apostolica sedes indulsit, omnes Parochi Sacrificium pro gregibus suis offerre tenentur.

6. Deinde in id vel maxime incumbant Parochi, ut concreditas pascant oves verbo Dei: et hoc praecipuum est Parochorum munus. Catechesis, Sancti Evangelii explanatio, sacrarum historiarum recordationes illa laeta sunt pascua, quibus ex vi muneris sui gregem Christi nutrire debent, et saginare. Jus etiam divinum (2) Parochos ad id peragendum impellit et urget; ita ut opus tam grave ac sanctum nulla illi possint tergiversatione declinare. Caveant igitur, ne sint canes muti, latrare non valentes, dormientes, et amantes (3) somnia. Secum ipsi saepius recogitent, ut, si tacentibus ipsis morietur impius in iniquitate sua; (4) sanguinem ejus requisiturus sit Dominus de manu eorum. Quapropter quae de fide, de verbi Dei praedicatione, de Christiana Doctrina tradenda jam diximus et praecepimus, ea omnia nunc repetita sanctione in Parochorum mentem revocamus, ac peragenda iterum edicimus. Ut autem haec omnia Parochi ea, qua decet, doctrina, et facili, nitidaque methodo facere quidem possint; libros, qui de Fide morumque disciplina, ac de sacra-

---

(1) *Bened. XIV. Const. Cum semper — Litt. Ency. Pii IX.*
(2) *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1.*
(3) *Isaiae 56. v. 10.*
(4) *Ezechiel. 3. v. 18.*

mentorum administratione pertractant, sibi comparent; nec non sedulam lectioni, doctrinae, atque regendarum animarum scientiae operam navent. Non enim per adjutores, (1) qui a nobis semper probandi sunt, sed per se ipsos ad Catecheses sacrasque conciones incumbendum est.

7. Nunc vero veniamus ad aliud maximum Parochorum munus quod est Sacramentorum administratio, ex quibus quaedam parochialis omnino juris sunt. Sacramenta profecto sunt illa divinarum gratiarum fluenta quae fidelium conscientiam emundant ab operibus (2) mortuis: sunt illa divinae misericordiae pignora, per quae populus Christianus aquam salutis haurit de fontibus (3) Salvatoris. Sint igitur Parochi in illorum administratione solliciti. Videant, ne sua unquam otiositas eos a sacramentorum participatione removeat, quos alacris ac studiosa eorumdem administratio a via perditionis eriperet. Petentibus igitur praesto sint. Diluculo in sede confessionali assideant. Sint vel maxime solliciti in accipiendis praesertim eorum confessionibus, qui lethali morbo laborant. In appendice N. nos tradere curabimus regulas quibus Parochi suam infirmis visitationem acceptam efficiant, ac laetissimam fructu. Meminerint interea Parochi, iis, qui in extremo vitae discrimine versantur,

---

(1) S. C. C. In Nullius Orbetelli 28. April. 1736 — In Tolent 16. Maji 1739.
(2) ad Hebr. 9. v. 14.
(3) Isaiae 11. v. 3.

non per Vicarios, sed per se ipsos teneri, (1) opem praestare. Quomodo autem in Sacramentorum administratione sese gerere debeant, in re sacramentaria jam vidimus.

8. Caeterum, a gregis custodia numquam cessent. Instent etiam opportune, importune, (2) arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina. Gregem roborent exemplo bonorum operum in conversatione, in charitate, in fide, (3) in castitate. Haec sancti Gregorii verba suo non defluant animo. Cujus vita despicitur, necesse est, ut ejus praedicatio (4) contemnatur. Ab se procul sit pecuniae cupiditas: et quidquid non justum, non sanctum, non amabile, non bonae famae (5) est, removeant. Odia et inimicitias, quae inter familias exarserint, e medio tollant. Egenis manum (6) aperiant, exurientique frangant (7) panem suum: stipem quaerentem non relinquant post se maledicere. Pro grege tuendo, et ad animarum pericula propulsanda diu noctuque invigilent in spiritu ardoris. In eos, qui impias doctrinas, et zizania in agro Domini disseminant, statim ascendant ex adverso. Pascant igitur gregem secundum Deum, non mercenariorum more, nec

---

(1) S. C. C. In Sipontin. 1. Decemb. 1736.
(2) 1. ad Timoth. 4. v. 2.
(3) 1. ad Timoth. 4. v. 14. — ad Tit. 2. v. 7.
(4) S. Greg. Hom. 12. in Evang.
(5) ad Philippen. 4. v. 1. 8.
(6) Deutor. 15. v. 11.
(7) Isaiae 58. v. 7.

lucri gratia: sed vere amatores populi Isdrael, positique internuncii inter Deum et homines, nullis parcant laboribus, ut muneri suo diligenter sancteque respondeant, et sibi Deum gregique propitient.

9. In parochialis Ecclesiae tabulario quisque Parochorum servet optime nitideque conscriptos parochiales libros tum de Matrimoniis, et renatis, tum de confirmatis et de vita functis. Cumque in his aliquid referendum sit, nulla alia, nisi quae in Rituali Romano traditur, formula Parochus utatur. Si vero ex his aliquid erit extrahendum, id integrum desumatur sine ulla variatione, Ecclesiaeque sigillo consignetur. Praeterea praecipimus, ut, praeter hos, Parochi librum retineant canonicarum monitionum, quas debent ex canonum mente facere non tantum ut monitores, sed etiam ut patres, qui amore vehementissimo, omniumque argumentorum genere filios suos monent, hortantur, increpant, iisque minantur.

10. Quotannis etiam, Paschate Resurrectionis redeunte, censum personarum Paroeciae conficere tenentur; in quo singularum ovium nomina, cognomina, aetatem, sexum, munus, statum, conditionemque (1) describant. Quem librum, cujus titulus sit de statu animarum, ad nos intra octavam Pentecostes mittant, referentes etiam, quid a nobis in Paroecia corrigi, ac emendari necesse sit.

---

(1) Vide Rit. Rom.

CAPUT IV.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

—

1. Res maximi momenti est, ut Parochorum munus iis tantummodo viris ecclesiasticis deferatur, qui et vitae innocentia, et doctrinae laude, et morum gravitate commendati, in magna apud omnes aestimatione habeantur. Ad hoc quodammodo assequendum, Tridentini statuere Patres, ut sex saltem examinatores, ab Episcopo propositi, a Dioecesana Synodo (1) probentur: atque ut, adveniente alicujus parochialis Ecclesiae vacatione, ex illis tres eligat Episcopus, qui una cum eo examen perficiant. Ex decreto igitur Tridentinae Synodi per nos proponuntur (2) pro nostra Dioecesi, quos Examinatoris Synodalis munere dignos judicavimus. Ut vero hujusmodi examinatores suscepti muneris gravitati respondeant, haec, quae sequuntur, declaranda ducimus.

2. Examinatores Synodales vel in hac ipsa Synodo, vel coram nobis aut Vicario Generali, jusjurandum (3) de suscepto munere sancte integreque exercendo emittant.

---

(1) Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de Refor.

(2) Vide in fine Synodi eorum indicem, qui ad examinatoris munus propositi et probati sunt.

(3) Concil. Trid. loc. cit.

3. Examinatores ad instituendum de iis, qui vacantes petunt parochiales Ecclesias, experimentum vocati, non solum de illorum scientia et doctrina periculum facere, sed de eorum prudentia, charitate, morumque innocentia, caeterisque virtutibus ad officium Parochi (1) rite cumulateque obeundum necessariis, inquirere satagant. Solvendas vero futiles implicatasque quaestiones non proponant, nec quemquam de quaestionibus ad scribendum tradendis praemoneant.

4. Praeterea nihil gratiae et precibus, nihil metui et cupiditati tribuant ipsi, atquè caveant, ne quidquam prorsus, occasione (2) examinis, nec post, nec ante, accipiant. Simoniae enim vitium, tum ipsi, tum alii dantes incurrunt, a quo absolvi nequeunt, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles redduntur.

5. Examinatores, postquam fuerit examen peractum, renuntient ex concurrentibus eos, quos ad vacantem regendam Ecclesiam, non solum scientia, et doctrina, sed etiam aetate, prudentia, moribus, aliisque necessariis dotibus idoneos judicaverint. Ex his autem Episcopus illum eligat, quem, habita praesertim ad majorem Dei gloriam, majoremque Ecclesiae utilitatem ratione, magis

---

(1) Concil. Trid. loc. cit.
(2) Decretum Concil. Frid.

idoneum (1) arbitrabitur. Meminerint etiam examinatores, sese sacro juramenti obstringi vinculo, ne tum varium sententiarum discrimen, tum examinis acta foris eliminent et effutiant.

---

(1) *Concil. Trid. sess. 24. c. 18. de Refor.*

CAPUT V.

DE JUDICIBUS ET TESTIBUS SYNODALIBUS.

---

1. Ad judices synodales quod attinet, oportet, ut tridentinae Synodo obtemperemus, quae statuit, in singulis conciliis provincialibus ac Dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quae incipit — statutum — et alioquin ad id aptas designari, ut, praeter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur — Cum nihil ex iis, quae ad Dioecesis nostrae bonum prodesse possunt, negligendum censemus, hinc hujusmodi judices designare statuimus.

2. Qui juxta Bonifacii VIII. Constitutionem sunt in judices synodales eligendi, oportet, ut in ecclesiastica ii sint constituti dignitate, vel saltem personatu vel canonicatu (1) fruantur in Ecclesia cathedrali; atque ea, qua par est doctrina habilitatisque virtute polleant, in qua vero summa regendi posita est (2).

3. Hujusmodi autem Judices, adhibito hujus

---

(1) *Cap. statutum de Rescript.*
(2) *Bened. XIV. Const. Quamvis Paternae 26. Aug. 1741.*

synodi consilio, electi, munere defungi suo non praesumant, nisi prius eorum nomina pontificio supplicum libellorum Secretario (1) denuntiemus.

4. Cum in judicibus synodalibus eae tantum, quas Sedes Apostolica illis delegaverit, facultates inesse soleant; hinc ante delegationem omnis ipsis (2) deest jurisdictio. Praeterea cum commissas sibi causas agant, non aliis quam curiae nostrae sese uti posse (3) notariis, atque omnes in nostrum tabularium actus statim sibi deferendos esse sciant.

5. Si electorum judicum numerus, qui saltem quatuor, atque etiam plures (4), dummodo id postulent circumstantiae, eligendi sunt, ex cujusquam judicis decessu imminuatur; nos, collatis cum collegio canonicorum consiliis, alterum eligemus, ut — habeat Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, quibus hujusmodi causae committantur. (5) —

6. Ex eorum numero, quos in synodales elegimus judices, Regularium ordines eligere sibi possunt suorum privilegiorum (6) conservatores; qui, constituta a summis Pontificibus potestate, certisque legibus et conditionibus, in ipsorum Re-

---

(1) Bened. XIV. Const. cit.
(2) S. C. C. apud Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 4. c. 5. n. 7.
(3) S. C. C. apud Bened. XIV. loc. cit.
(4) Concil. Trid. loc. cit. — Bened. XIV. Const. cit.
(5) Concil. Trid. loc. cit.
(6) Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 4. cap. 6.

gularium causis decernant. Nomina autem judicum, quos regulares sibi in conservatores elegerint, intra sex menses nostrae sunt curiae exhibenda (1).

7. Hortamur denique, quotquot sunt in judices synodales electi, ut judicent justitiam, aequa judicii lance jura partium perpendant; sint in cognitione maturi; sint, re jam satis superque perspecta, celeres in conficiendo; totaque sui muneris vigilantia, charitate, prudentia omnes rejiciant cavillationes et tricas.

8. De Testibus praeterea synodalibus, quod vetus Ecclesiae consuetudo invexerat, id postea sancitum invenimus. Nam Innocentius III. in Lateranensi (2) Concilio decrevit, ut in Synodis viri pietate, doctrina, et zelo probatissimi in Testes (3) Synodales constituantur; qui magna diligentia inquirant, qualiter servetur, et adimpleatur, quod in Synodo statutum et praeceptum (4) est; et quae correctione vel reformatione sunt digna, fideliter referant. Hoc vero munus demandatur absque ulla jurisdictione.

9. Nos itaque viros doctrina, prudentia et cha-

---

(1) Const. Greg. XV. Sanctissimus — Bened. XIV. loc. cit. — S. C. C. in Wladislarien. 16. Jun. 1649. — Ordo Min. Obser. 10. Decemb. 1661.

(2) Concil. Lat. IV. cap. 6.

(3) Late de ipsis agitur a Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 4. cap. 3.

(4) S. Thuribius in sexta Syn. Dioec. apud Bened. XIV. loc. cit.

ritate commendatos in synodales testes jam elegimus. Ut autem ipsi munus suum ea, qua par est, libertate curare et perficere possint, eorum nomina silentio celanda censemus. Sed schedam, ubi nomina inscripsimus, jam signo munitam secretum tablinum nostrum custodit. Meminerint hi testes juramentum (1), quod pro munere fideliter obeundo coram nobis emiserint.

---

(1) Bened. XIV. de Syn. loc. cit.

CAPUT VI.

DE REGULARIBUS VIRIS.

—

1. Regularium Ordinibus, qui electorum militum sunt agmina ad praelianda praelia Domini semper paratissima, suam Christus, veluti castrorum acie, communire voluit Ecclesiam. Testes sunt historiae, quantum Religio, quantum ipsa illis debeat civilis Societas.

2. Sanctissimum eorum vitae genus, assiduum orandi studium, voluntaria rerum omnium paupertas, vigiliae, jejunia, coelestium Mysteriorum commentatio, illos ad ea efferunt peragenda charitatis prodigia, ut nulla sit aetas, nulla conditio, nullus civium ordo, cui summa quidem alacritate opitulari non studeant. Ipsi enim non solum omnis sanctimoniae omniumque praebent exempla virtutum; sed etiam et literis scientiisque tradendis, et libris omnis doctrinae praestantia probatissimis, errorum fraudes nudare ac refellere satagunt; et praesidiis numero carentibus civilem ipsam societatem juvant; et catholicam fidem scriptis, laboribus, effusique sanguinis testimonio tueri atque amplificare non dubitant.

3. Quare, hujusmodi amplexa operarios, summo semper eos in honore sancta habuit Ecclesia. Nos etiam benedicimus Domino Messis, quod in colen-

do nostrae villicationis agro, nobis adjutores esse aliquos voluit Regularium ordines, quos et summa prosequimur benevolentia, et quorum jura, veluti nostra, custodire ac tueri non omittemus. Quamvis vero, quae per sacros Regularibus canones praescripta sunt, omnia eos servare confidimus; tamen, ne muneri nostro deesse videamur, haec, quae sequuntur, meminisse duximus.

4. Ad disciplinam quod attinet, Regularium ordinum moderatores Pium PP. IX. audiant, eos adhortantem, ut pro sui officii debito nulli parcant curae atque induxtriae, qua regularis disciplina, ubi servatur, magis in dies vigeat et floreat; ubi vero detrimentum aliquod passa fuerit, omnino (1) reviviscat, et redintegretur.

5. Quidquid de Sacramentorum administratione, Missae Sacrificio, sanctissimaque Eucharistia; quidquid de sacris Reliquiis, Verbi Dei praedicatione, atque indulgentiis; quidquid de publicis supplicationibus, funeribus et sepulturis, caeterisque institutis, quae religiosas praesertim respiciunt familias, in hac nostra decrevimus Synodo, id nostrae Dioecesis Regularibus (2) observandum proponimus.

6. Meminerint Regulares, sibi sine nostra ve-

(1) *Ency. 8. Decembr's 1849.*

(2) *Concil. Trid. sess. 25. de Refor. — Bened. XIV. Const. Apostolicum et Const. Firmandis — S. C. C. in Neapol. 17. Aug. 1630. — S. C. R. in Firman. 22. Jan. 1701. — Conc. Trid. sess. 25. de invoc. Reliq. et Imag. Sanctorum. —*

nia non licere, divinam Eucharistiam in propriis Ecclesiis (1) publice adorandam exponere, nec Energumenos (2) exorcizare; nec item purificationis benedictionem puerperis impertiri, neque domos sabato sancto, Parocho non annuente, aqua spargere lustrali.

7. Regulares, qui in nostra Dioecesi monasterium non habitant, eleemosynas cujusque generis, absque nostra in scriptis tradita facultate, sive per se, sive per alios (3) colligere non audeant. Qui vero in Dioecesi hac nostra habitant monasterium, in eleemosynas colligendas non alios, quam sui ordinis Religiosos aut oblatos adhibeant.

8. Regulares, qui sunt ab audiendis confessionibus saecularium, tum sacrae scripturae lectionibus (4) in Ecclesia Cathedrali, tum casuum conscientiae collationibus apud nos habendis interesse (5) tenentur, dummodo utrasque in eorum non habeant coenobiis.

9. Meminerint Regulares, sibi non licere sine legitima facultate ad Moniales, quacumque ex

---

(1) Bened. XIV. Inst. 30. — S. C. C. in Gratianopol. 14. Apr. 1674.

(2) S. C. Epis. in Florent. 22. Febr. 1625. — S. C. S. Offic. 5. Jul. 1710. — Const. Bened. XIV. Const. Magno cum animi nostri. §. 34.

(3) Cap. Tuorum 2. de privilegiis

(4) Concil. Rom. sub Bened. XIII. tit. 1. cap. 9.

(5) Concil. Rom. sub Bened. XIII. tit. 15. cap. 9. — Litt. Ency. S. C. Dioec. 8. Nov. 1752.

causa alloquendas ac visitandas (1) accedere. Mulieres etiam cujuscumque conditionis sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda Regularium septa, claustra, cubicula, coenacula, sub ipsa quoque pietatis specie, ingredi vetantur (2).

10. Cautum ex concilii tridentini jure est, ne Regulares, nisi missi fuerint, aut vocati a superioribus, moram trahant extra claustra sub quavis, etiam honesta, causa. Qui vero in Dioecesi nostra, ex suorum etiam superiorum venia extra claustra immorantes, deliquerint, eos (3) sacri canones nobis puniendos constituunt. Sed qui in Claustris degentes, extra illa cum scandalo peccaverint, per suos quidem Moderatores intra illud puniantur tempus, quod erit a nobis constitutum (4). Praepositi vero Regulares non solum nos tum de poenae qualitate, tum de ejus executione certiores reddere tenentur, sed etiam sinere caveant, ut nocentes, prius quam poenam luerint, e Dioecesi nostra decedant (5).

11. Ad haec atque alia praecavenda mala, Regulares ab ea, quam professi sunt, vitae ratione nunquam declinent. Dimidia post solis occasum hora in sua sese quisque claustra recipiant (6), et

---

(1) Sixt. V. a. 1590. — Paul. V. — Urb. VIII.

(2) S. C. C. in Urbanien. 18. Ap. 1750. — S. Pius V. Const. Decet. — Bened. XIV. Const. Regularis Disciplinae.

(3) Concil. Trid. sess. 6. c. 3.

(4) Concil. Trid. sess. 25. cap. 14.

(5) Ibidem et Clem. VIII. Const. suscepti muneris.

(6) S. C. Epis. Encyc. Aug. 1828.

ab his, nisi cum superiorum venia semperque consociati, nocturno tempore nunquam egrediantur. A domibus etiam, in quibus honestate famaque periclitentur, caveant; eaque omnia, quae tum vocationi, tum Religionis honori adversantur, fugere curent diligentissime, ut sint exemplo fidelibus in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.

12. Coenobia, quae requisito ab apostolicis Constitutionibus Religiosorum (1) numero carent, sacri Canones visitationi, correctioni, omnimodaeque nostrae delegatae jurisditioni subjecta esse voluerunt.

13. Cum Regulares in vinea Domini positi sunt, ut operentur in illa; studeant religiosae Dioecesis nostrae familiae in hac excolenda vineae parte nobis adjutrices accedere; nobiscum ambulent in Domo Dei idem sentientes, et cum viris praesertim Ecclesiasticis unitatem spiritus servare curent in vinculo pacis.

---

(1) Urb. VIII. Const. Nuper. — Alex. VII. — Inn. X. — et plura Decreta S. C. C.

CAPUT VII.

DE MONIALIBUS.

---

1. Earum sacer Virginum chorus, quae, posthabitis saeculi deliciis, cum agno coelesti iniere nuptias, et sub umbra (1) illius conquiescunt, flos est pulcherrimus ecclesiastici (2) germinis, ac illustrior pars gregis Christi; unde Ecclesia catholica honoris numquam antiquitus auditi meritum sibi vindicat, novisque gloriae fulgoribus, quam late patet orbis, effulget. Res profecto mirabilis, et prodigio similis est illa Catholicae Religionis vis et virtus, quae puellas, multitudine innumerabiles, omnique copiarum genere abundantes, a divitiis ad paupertatem, a superbia vitae ad humilitatem, a carnis voluptatibus ad castitatem inter solitaria monasteriorum septa advocat et colligit, numquam inde postea exituras.

2. Sunt tamen ipsae sua sorte contentae, quae nihil aliud quaerunt, quam Christo sponso placere in charitate, in patientia, in puritate, atque in omni virtutum genere; ita ut sollicitae semper in iis, quae Domini sunt, sanctae corpore et spiritu, veluti rosae in hortis conclusis, floreant in

---

(1) Cantic. 2. v. 2.
(2) S. Cyprian. de discipl. et habit. Virginum.

odorem suavitatis, expectantes in beata spe adventum Sponsi sui. Quare nobis cordi est vel maxime, ut sacra hujusmodi disciplina ac institutum florescat quotidie magis; et nitidissimus tot Virginum candor et gratia foedo veternosi serpentis veneno numquam inficietur. Hinc sacrae Virgines ad ea, quae, nos Canones sequuti, servanda jubemus, aures admoveant libenter, ut pulchriores, sanctioresque fiant in Oculis sponsi sui.

3. Quemadmodum aluntur sepes pro agrorum custodia; ita clausurae ratio jam inde a primis Ecclesiae Saeculis (1) adhibita est pro integra Monasteriorum servanda disciplina. Hinc tum Moniales, praeter casus, quos jus concedit, egredientes, et qui egressas excipiunt; tum qui sine nostra in scriptis tradita facultate Monasterium ingredi, et qui ingressos (2) admittere praesumunt; tum denique qui aditum (3) exitumque consulunt et permittunt; omnes hi anathemate latae sententiae feriuntur, sedi apostolicae reservato; nec non aliis gravissimis poenis per sacros Canones ac pontificias Constitutiones statutis subjiciuntur. Sub violatae etiam clausurae (4) poenis vetamus, ne quis

(1) *Concil. Trullan. can. 46. — Cabilon. can. 37. 63. — Matiscon. I. can. 2. — Epaon. can. 36. — Arelat. IV. can. 7.*

(2) *Cap. unic. de Stat. Regular. in 6. — Concil. Celonien. 1310. cap. 28. — Concil. Ravennaten. 1314. 1317. — Concil. Mogunt. 1546. can. 79. — Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de Regul.*

(3) *D. Cap. unic. et Trident. loc. cit. — S. Pius V. in Constit. Pastoralis et in seq. Decori — Greg. XIII. in Constit. ubi gratia.*

(4) *S. C. Ep. et Reg. in Tudert. 7. April. 1579. — in Neapo-*

puerulos puellulasque aetatis quoque paucorum dierum, vel mensium, intra Monasterii septa quoquo modo inferat, vel admittat per revolutas etiam ex parte clausurae rotas.

4. Si vero ex nostra facultate fabris, villicis, aliisque operariis intra Monasterii septa ire liceat, id numquam fiat ante ortum, et post occasum solis. Confessario autem, artisque salutaris peritis patebit accessus, quoties, et quota hora postulabit necessitas. Animadvertendum tamen est, ne data quisquam venia abuti audeat. Praeterea omnia, quae aut regula, vel probatus usus pro ingressu, ductu, mora, et egressu exterorum cavenda, et servanda sancivit, nos volumus ut serventur vel diligentissime.

5. Si Moniales rectas facere (1) debeant in solitudine vias suas; crates, rotas, collocutionis locum fugiant necesse est. Ex vano enim alloquio semper minus pie et religiose ad cellam redibunt. Ecquid aliud ex profana collocutione consequentur, nisi animum in persequenda sanctitatis via nimis tepescentem? Loca beatae solitudinis dicuntur Monasteria: idcirco Moniales aut omnino collocutionis loca fugiant, aut saltem illis satis parce utantur. Etiam cum conjunctis consanguineis vel affinibus in primo et secundo gradu haud saepe habeant

---

lit. 22. Martii 1580. — in Cremon. 12. Febr. 1585. — in Taurin. 10. Jun. 1690.

(1) Isaiae 40. v. 3.

colloquia, rarius autem cum ceteris; semperque sese ita gerant, ut laici pietatis virtutumque exempla domum referant. Praeterea sint cuique Monasterio stati dies, stataeque horae, quibus tantummodo Moniales ad collocutionis locum accedere non vetentur. Verum in re tanti ponderis servetur, quidquid proprii Instituti lex et cautelae servandum praecipiunt. Meminerint etiam Regulares, sibi graviter vetitum esse ad Moniales (1) accessum; ita ut nec ex honesta, (2) pia, qualicumque causa, sine nostra venia, eas alloqui unquam possint.

6. Cum litterae etiam devotis Deo Virginibus esse offendiculum, et scandalum, et solitudo per eas ac disciplinae fervor possint aliquod accipere detrimentum; caveant Moniales ne quam recipiant et mittant litteram, inconsulta Monasterii praefecta, cui eam exhibere tenentur (3) legendam: litteras autem excipimus, quas ad nos, ad Confessarium, et, si proprii instituti lex id sinit, ad conjunctos in primo et altero gradu Moniales mittent, ac ab iisdem accipient: tunc satis erit, si Praepositæ inscriptionem, subscriptionemque legendam ostenderint. Libri autem non inferantur in Monasterium, nisi Confessarius, cujus judicio sub-

---

(1) Sixtus V. — Urbanus VIII. — Gregor. XV. aliique.
(2) S. C. C. in Spoletan. 26. Novemb. 1672.
(3) Concil. Mediol. I. p. 3. tit. de Clausura — S. C. Ep. 12. Jul. 1592.

jiciendi sunt, veniam dederit. Si qua Monialis, secus facere ausa, libros, inconsulto Confessario, accipiat, legat, et apud se retineat; pro modulo culpae poenam luat.

7. Moniales totis viribus voluntariam diligant paupertatem, quae intemeratae castitatis et obedientiae socia debet ire perpetua. Nonne Moniales satis divites sese habere existiment oportet, si caelestis sponsi divitiis perfruantur? Insuper numquam satis laudanda quidem est Communis vitae ratio. Quare nos ex sacrae etiam Congregationis Concilii incitamentis Moniales omnes hortamur, ut eximiam hujusmodi vivendi societatem, tamquam disciplinae fontem, pietatis matrem, castimoniae tutelam, sanctitatis viam, omniumque virtutum praesidium, ac perfugium vel citissime amplectantur. Meminerint tamen omnes, votum sese vovisse paupertatis, quod nihil proprietatis, nihil dominii patitur; unde privata rerum possessio omnino vetita est. Hinc, quidquid Moniali obtigerit vel ex consanguineorum, aliorumque dono, vel ex manuum labore quaesitum, vel ex annua cujusdam domestici Canonis praestatione perceptum, id omne praepositae tradat; nec id sine venia, veluti jure sibi debitum, iterum accipere, atque in suos impendere usus poterit. Praeterea, si praepositae licentia non intercesserit, Monialibus munera nec recipere, nec mittere licebit (1).

---

(1) Clemen. VIII. Const. Religiosae — Urban. VIII. Const. Nuper — Benedic. XIV. Instit. 29. n. 29.

8. Ut autem Monasteriorum bona, et praedia, ea, qua decet, diligentia et cultura serventur; sed etiam in uberiores reditus augeantur in dies, Syndicum seu curatorem probatae fidei, magnaeque dexteritatis destinabimus; qui in re administranda, ac in negotiis tum praepositam, tum alias officiales consulat et audiat. Nobis autem dati acceptique codices quotannis exhibeat Syndicus, totius administrationis rationem redditurus. Rei tamen familiaris cura, internaeque administrationis onus, totum sit praepositae aliarumque officialium, quae pariter accepti expensique rationem nobis quotannis reddant. Caveat vel maxime Praeposita, ne, quidquid ad Monialium victum pertinet, pro re Monasterii augenda imminuatur. Monialium enim valitudo, et tranquillitas magis cordi sint, quam maximum in Monasterii censu incrementum.

9. Praeterea, quidquid pro puellarum ingressu, pro tempore probationis, dotisque constitutione, vel deposito ante sacram vestitionem omnino faciendo, quidquid pro sacra vestitione solemnique professione, tum per sacros canones, tum per peculiarium institutorum leges sancitum est; id omne volumus integrum servari vel diligentissime.

10. Ceterum, Moniales intaminatae castitatis, paupertatisque evangelicae comitem perpetuam secum habeant obedientiam, qua nihil Deo gratius est, cum illi offeratur quod carius est homini, si quid homini carius est voluntate. Moniales, hac innixae virtute, confidant numquam fore, ut ad-

mittant, quod divini sponsi purissimos offendat oculos. Non satis sit, reliquisse omnia: maximum quidem est, relinquere semetipsas, et abnegare quod sunt. Si quid ardui, si quid inusitati praescribi aliquando sibi putant, Moniales laeto pacatoque accipiant animo, statimque obtemperent. Quando enim obedientia imperat, tunc sponsi Christi voces in illis superiorum vocibus recognoscant; non obmurmurent; nec rationis requirant argumenta; sed ea animi, qua par est, alacritate hoc Religionis tribuant obsequium. Illud Canticorum meminerint ipsae — Trahe me post te; in odorem unguentorum tuorum currimus. — Hac quidem praeditae virtute, reliquas omnes facile consequentur; quarum exercitium, humilitatis praesertim, omnibus cordi sit. Quare Capitulum, ut vocant, culparum, statis per annum temporibus, peragant.

11. Moniales in idonea eligenda Praeposita omnem curam, omnemque sollicitudinem ponant; ejusque electio sit per secreta suffragia (1), tantum per triennium, nobis praesentibus. Hinc duobus ante mensibus, Praeposita de tempore nos pro futura electione certiores reddat. Confessarii munus ad Triennium demandabitur Sacerdoti, aetate, consilio, moribus probatissimo, qui doctrinam suam peculiari examine periclitabitur. Noverit Confessa-

(1) *Concil. Trid. sess. 25. cap. 6. et 7. de Regul. — Greg. XIII. Const. I. Jan. 1583.*

rius; vetitum esse, ut sacri Tabernaculi clavis sit apud Moniales, quam vero ipse custodire tenetur.

12. Bis; aut ter (1) in anno Confessarii ordinarii partes accipiet Confessarius extraordinarius. Semel autem in anno Moniales sollicitam exercitiis spiritualibus operam dabunt per dies decem; quo tempore Confessarius Ordinarius non solum nullam in Monasterio degentium (2) confessionem audiat, quin etiam ad ipsum vetatur accedere Monasterium (3),

13. Quae a priscis Ecclesiae temporibus consuetudo invaluit, ut Moniales (4) apud se haberent puellas ad virtutem informandas, eam in nostris vigere monasteriis maxime laetamur. In his enim virtutum domiciliis puellae saeculares ea profecto, quae recta, quaeque sancta sunt, tum voce, tum exemplo, addiscere facilius possunt. Itaque pro Christianae reipublicae bono atque incremento non modo hunc morem non interdicimus, sed commendamus vel maxime. Verum Monasterii praefecta sic omnia ex methodo componat, ut sacrae Monialium quieti secessuique nihil nocumenti contingat. Quare pro scholis, pro doctrina, pro somno, mensa, deambulatione, et solatiis ita comparata sint omnia, ut, dum nihil puellis istis desit, nul-

---

(1) Concil. Trid. sess. 25. cap. 10. de Regul.
(2) Benedict. XIV. In Constit. Pastoralis §. Quoniam.
(3) Edict. Jussu Clemen. XI. 12. Decemb. 1708.
(4) S. Hierony. in Epist. ad Letam.

lum simul incommodum, nullaque Monialibus perturbatio inferatur. Quae ut admittantur, nec septemnio minores, nec vigesimo quinto aetatis anno majores sint. Caetera autem omnia, quae per sacram Episcoporum Congregationem praescripta sunt, serventur quam diligentissime.

14. Verum ex hoc etiam laetandum nobis esse ducimus, quod in hanc nostram civitatem nuper invectae fuerint Moniales, quae, pro instituti sui ratione, ad puellarum institutionem, pietatem, mores, bonasque artes, tamquam apes argumentosae, incumbunt. Quo munere cum pie sciteque fungantur, magnam quidem promerentur laudem. In spem enim Catholicae Ecclesiae, civilisque societatis puellulas informant, simulque cum bonis artibus sanctum Dei timorem, fidei puritatem, moresque integros teneris animis instillant. Nam si adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea; fore confidimus, ut hinc verecundae pudicaeque puellae, bonaeque mulieres, hinc castae sponsae, hinc optimae matres familias eveniant.

CAPUT VIII.

DE EREMITIS.

1. Vehemens, ne dicam, divinitus insitum divinae contemplationis studium ad arduam eremiticae vitae rationem profitendam, etiam in lege veteri homines impulit ac inflammavit sanctissimos. Ex hoc enim numero Eliam, Eliseum, ac juxta fluenta jordanis (1) prophetarum filios fuisse novimus; ex hoc quidem numero primum in lege nova Paulum, ac hujusmodi vitae illustratorem Antonium; ex hoc fuisse homines vel plurimos, difficillimis Ecclesiae temporibus persecutionum turbine jactatos. Eremiticae postea vitae institutum tum Augustiniani, tum Camaldulenses, aliique aliquam Congregationem professi, amplecti curarunt. Nonnulli demum ex Laicis, sacro alicujus Ecclesiae addicti servitio, ad piacularem vitam ducendam, eremiticum sibi induere habitum consueverunt.

2. Hujusmodi Eremitarum generi, quod tantummodo in nostra habemus Dioecesi, prospiciamus oportet diligenter, ut ipsi sanctissimo, quod profitentur, instituto moribus atque operibus rite re-

---

(1) S. Hierony. Epist. 13. ad Paulin. c. 3.

spondeant; rectasque faciant in solitudine (1) vias suas. Quod enim hujusmodi Eremicolae a sancta vivendi ratione desciverint, concilium Romanum queritur atque dolet; (2) iisque regulas constituere curavit; et peculiarem etiam super his Episcoporum solicitudinem excitat; cum praesertim eorum mores ruricolis offendiculum et scandalum esse possint, nisi ambulent vocatione, qua vocati sunt; nec sint in vestimentis ovium Lupi (3) rapaces, nec quasi procellosae nubes, turbinibus agitatae (4), huc et illuc pererrent. Quare de Eremitis haec, quae sequuntur, decernenda putamus.

3. Cum satis perspectum ac diu cognitum sit, esse plerosque ex eo nequissimo hominum genere, qui, otii desidiaeque cupidissimi, non ad sanctimoniam vitae acquirendam, sed ad faciliorem pinguioremque sibi victum comparandum eremiticam amplectuntur vitam; hinc decernimus, ut eremiticum sine nostra in scriptis (5) facultate habitum induat nemo; nec quisque ex laicis eremitorium pro domo inhabitet sub poena carceris.

4. Si quis Eremita in nostram migret Dioecesim, non prius cuiquam addicetur Eremo, quam sui Episcopi litteras exhibeat, quae de vitae honestate, de divini cultus studio, de sua ab omni

---

(1) Isaiae 40. v. 3.
(2) Concil. Rom. 1725. Tit. 22. Cap. 1. 2. et 3.
(3) Matth. 7. v. 15.
(4) 2. Petri 2. v. 17.
(5) Concil. Rom. loc. cit. ac in append. ejusdem concil. n. 21.

crimine immunitate testimonium ferant. Nemo novum, nobis inconsultis, extruat in Dioecesi nostra eremitorium; quod si construi concedatur, alterum ab altero millibus passuum distet (1).

5. Eremitae alicui monastico Instituto, a Sancta Sede probato, suae vitae rationem conformare studeant. Ad Poenitentiae atque Eucharistiae sacramenta quolibet mense, festisque solemnibus diligenter accedant. Missae Sacrificio, si fieri potest, quotidie intersint. Singulis diebus festis Doctrinae Christianae, nec non Concionibus, ac Processionibus interesse non praetermittant.

6. Ecclesiam vero, cui addicti sunt, diligentius custodiant, summoque curent studio, ut illa singulari fulgeat nitore, ibique sacra supellex munda sit. Ex exteris sacerdotibus ad sacrum in ea faciendum sine nostro celebrandi testimonio neminem admittant. In id autem studiosissime incumbant, ut Deum, Beatam Virginem, caelitesque tutelares Rosario, Litaniis, aliisque precibus quotidie sibi atque Benefactoribus propitient. Mane divinarum rerum meditationi vacent: sero autem ante cubitum in se facta, dicta, ac cogitata inquirant, conscientiaeque latebras scrutentur diligentissime.

7. Domus Eremi sit decens et munda. Caveat Eremita, ne mulieres, etsi propinquae sint, eremitorium ingrediantur. Si quis facinorosus in Ere-

---

(1) Concil. Rom. Tit. 22. Cap. 2. et in appen. cit.

mi hospitium, vel Ecclesiam, tamquam confugii locum, sese recipiat (1), curia nostra continuo per ipsum Eremitam certior fiat. Videat etiam, ne homines scelesti, ac latrones apud se diu noctuque hospitentur. Si vero ex his aliquid Eremita neglexerit; statim ex Eremo detrudatur.

8. De Eremitarum moribus vivendique ratione, ac pietatis colendae studio, Parochus, aut Vicarius Foraneus videat atque invigilet: saepe eremitorium inviset; nec eos ultra triduum ab hospitio abesse patiatur. Quos libros legant, exquirat: ne quid frugum aut alia id genus in Eremi Ecclesiam recondant, invigilet diligenter. Si in aliquo peccent, corripiat: si pervicaci ita sunt animo, ut paterna nihil monita prosint, errata ad nos deferat puniendae.

9. Eleemosynas intra fines, quos constituimus, tantummodo colligant. Tum Vicariis, tum Parochis obedientiam praebeant: quotannis, statuta die, ad Curiam nostram accedant, debitam de Eremi Ecclesiis, de Eleemosynis, de suo in vita religiosa progressu rationem reddituri. Si quem a sancto Eremitarum instituto descivisse deprehenderimus, ab Eremo, atque a Dioecesi nostra dimittemus.

---

(1) Edict. Card. Vicarii Urbis: apud Luc.

PARS QUARTA

DE LOCIS PIIS

CAPUT I.

DE SEMINARIO ET COLLEGIO

Cum sensus et cogitatio humani cordis in malum (1) prona sunt ab adolescientia sua; hinc nihil sapientius, nihilque utilius excogitari unquam poterat, quam ut seminaria constituerentur, ubi juvenes procul a corruptelarum illecebris, edocti ab ineunte adolescientia ambulare in (2) lege Domini, omni litterarum scientiarumque genere, omnique vitae sanctimonia imbuerentur. Sapientissimum sane consilium, et nunquam satis laudibus decorandum! Seminaria certe quidem sunt Dei agricultura (3), et ipsius jucundissima aedi-

---

(1) Gen. 8. v. 21.
(2) Psal. 118. v. 1.
(3) 1. ad Corinth. 3. v. 9.

ficatio. Juvenes enim ibi, tamquam novellae plantationes in juventute (1) sua, in id instituuntur et adolescunt, ut postea, in vineam Domini translati, fructus bonorum operum ferant; ac veluti lux mundi, verbo et exemplo, omniumque virtutum, doctrinaeque splendore fidelibus praeluceant. Nobis vero laetandum est vel maxime, quod Seminarium collegiumque nostrum tum disciplina, scientiis, reque litteraria ita florescere videamus, ut nostris quotidie magis respondeat votis; tum ea sit famae celebritate, ut ex finitimis et dissitis Dioecesibus adolescentes ad pulcherrimas doctasque addiscendas disciplinas in ejus sinum frequentissimi confluant. Verum ut, quod magno fuit labore longeque studio partum, non solum servetur, sed magis quoque in dies augeatur; quidquid ad integrum Seminarii Collegiique nostri regimen, decus, majusque incrementum nobis quidem magis utile ac salutare visum est, decernere censemus.

1. Inter Seminarii Alumnos ii cooptentur, qui ab honestis parentibus ortum habuerint; et quibus juxta concilium tridentinum (2) duodecimus steterit aetatis annus; quique legere et scribere noverint; spemque, ecclesiasticis se ministeriis inservituros, praeseferant. Inter autem collegiales recipiantur, qui ex legitimo matrimonio nati, nec in-

(1) *Psal. 143. v. 12.*
(2) *Concil. Trid. sess. 23. cap. 18.*

fra octavum, nec ultra quartum decimum aetatis annum versentur.

2. Ad Ecclesiasticam quidem disciplinam seminarii alumni; collegiales vero ad bene moratam ac religiosam, licet laicam, vivendi rationem, seposito semper loco, informentur.

3. Seminarii collegiique leges, quas semel in mense legendas decernimus, diligenter religioseque observandae sunt. Qui in eas peccaverint, salutarem, pro ratione culpae, poenam luant.

4. Adolescentes non Alumni, nec collegiales, qui Seminarii, nostra cum venia, scholas celebrant, eas, quas tradimus observandas, peculiares constitutiones ediscant; ac sartas tectas sub poenis, pro modulo culpae irrogandis, habeant.

5. Cum Seminarii alumni Ecclesiae ministri, nostrique in pastorali regimine adjutores futuri sint; hinc eam vitae rationem suscipiant, oportet; ut in sanctimonia et doctrina quotidie magis progrediantur. Quare singulis diebus Missae adsint sacrificio: bis in mense et sollemnioribus Festis ad Poenitentiae, Eucharistiaeque sacramenta accedant: praecipuo Deiparam, ac caelestem juventutis patronum et sospitatorem Aloisium cultu, ac veneratione prosequantur: statis horis in sacellum Orationi, tum vocali tum mentali vacaturi, conveniant: Christianam catechesim, statuto per hebdomadam die, doceantur: Nostris Pontificalibus inserviant; Festisque diebus in Cathedrali Ecclesia Missae majori ac vesperis intersint: quotannis,

ineunte studiorum curriculo, spiritualibus per aliquot dies vacent exercitiis.

6. In omnibus praeterea benemorati sint: humiliter de se sentiant: despiciant neminem: de nullius fama detrahant: sileant in Scholis, in mensa, in mesaulis: subditi (1) sint senioribus: nunquam obliviscantur, quae et quanta Rectori, et Magistro debeant beneficia; nec illis perpetua obedientiae ac venerationis exhibere desinant officia: cum aliis contubernii studiorumque sociis urbane comiterque versentur: nimis arctum amicitiae vinculum, nimiamque familiaritatem vitent: nec, nisi tres simul, sermones seorsim conferant: nec contumeliis, injuriisque quempiam appetant, aut conviciis verberent: ornatum pariter et sordes fugiant: bini per urbem incedant, nec viam vorent, nec mussitent, sed eorum habitus, vultus, incessus tacita quaedam sit doctrina (2) virtutum.

7. Villica, ubi alumni nostri rusticentur, domus, quam parare enitimur, deest. Hinc maxima Parochis, Vicariis foraneis, ac parentibus cura sit, ut in juvenum, ad suos autumni tempore redeuntium, vitae rationem invigilent; eosque ab improbae lectionis libris, et ab hominibus, qui de moribus et de Religione male oleant, prohibere conentur. Redeuntes vero, nisi bonum Parochi exhibeant testimonium, non admittantur.

---

(1) 1. Petri 5. v. 5.
(2) S. Hierony. in Epist. 4. ad Rusticum.

8. In sacro Oseae libro legimus, eos esse a Sanctuario repellendos, qui scientiam repulerint, ne unquam sacerdotio (1) fungantur. Juvenes igitur ad illud omne litterarum scientiarumque genus, in quo versentur oportet, magno alacrique animo incumbant. Egregiam in assequendis Grammaticae utriusque linguae, latinae et italicae, Humanitatis, Prosodiae, Geographiae, Rhetoricae, Eloquentiae, Poesis, Metaphisycae, Philosophiae Moralis, Mathesis, Physicae, Utriusque juris, Theologiae Dogmaticae et Moralis, sacrae Scripturae, Historiaeque Ecclesiasticae disciplinis atque Hymnodiae, Eloquentiaeque sacrae operam navent; nec non Cantum Gregorianum, Lyturgiam, atque ecclesiasticas Caeremonias addiscant.

9. Libri sint hujusmodi, qui nec molles juvenum animos subruant, nec mentes labefactent: nec etiam explicandi sint, nec in juvenum manibus versentur commendatissimi in latino italicoque sermone Auctores, nisi illinc, quae turpitudinem vitiumque olent, expuncta sint.

10. Praeter specimen in omnibus scholis, pro ratione Classium, unoquoque trimestri habendum, Auditores Philosophiae aut Theologiae, aut utriusque juris publicam disputationem; auditores au-

---

(1) Oseae 4. v. 6.

tem Rhetoricae, aut Humanitatis, aliarumque, si nobis visum fuerit, disciplinarum, Academiam, aut aliquod de peractis studiis experimentum, anno scholastico exeunte, apparatu satis apto, magistratibus ac primoribus e Clero atque e civibus vocatis, exhibeant (1).

11. Si quis inter alumnos et collegiales sit ingenio tardior, aut studium nimis perosus, disciplinaeque indocilis, ita ut nec litterarii progressus, nec emendationis spes effulgeat; tamquam arbor infructuosa, quae terram inutiliter occupat, e Seminario collegioque dimittatur.

DE SEMINARII—COLLEGII RECTORE

12. Quondam Episcopi, ut a Possidio in vita S. Augustini accipimus, adolescentes Clericos non per alios, sed per se instituere ac regere consueverunt: deinde virum seniorem tum pietate, tum prudentia probatissimum sibi in re tanti ponderis sufficere non dubitarunt; qui simul esset et cujusque morum (2) testis, et doctrinae magister. Id secum ipse recogitans Rector, cujus senectus sit (3) vita immaculata, incumbat vel maxime, ut Seminarii-Collegii adimpleantur leges. Si quis in eas peccaverit, pro modulo culpae salutari plecta-

---

(1) Legatur Bened. XIV. Instit. 59. ubi late de Seminariis.
(2) Concil. Toletanum IV.
(3) I. Sapientiae cap. IV. v. 9.

tur poena. Curet, ut in omnibus adolescentibus ingenuitas, temperantia, pudor, modestia, et pietas effulgeat; quam saepissime diu noctuque eos inviset. Praefectos ex aptioribus seligat; nobisque exhibeat approbandos. Cujusque mores, indolem, ingenium inspiciat. Neminem sine nostra venia patrios adire lares patiatur; ne quid adolescentibus tradendum, se nesciente, inferatur domum. Cum autem, quidquid in Seminarii-collegii ambitu fit, ad ordinem disciplinamque pertineat, Rector in omni re tum ordinanda, tum executioni mandanda sese ea gerat auctoritate, quae vice nostra fungenti decet, et qua uti debet ipse, veluti in operosiorem sollicitudinis nostrae partem vocatus, cum Rectoris munus sit res maximi ponderis, a qua certe quidem pendet totius Dioecesis misera felixve conditio. Ea igitur, qua par est, solertia videat Rector, ne Seminarii ordo ac disciplina cujuscumque opere et tricis perturbetur. Omni de re nos reddat bis in hebdomada certiores. Si quid in alumnis, in Praefectis, in famulis, atque in exteris discipulis arguendum, aut damnandum invenerit; corrigat ad frugem, atque eam, quam leges praeclari Antistitis Jacobini, nostraeque 1. Novembris 1858. constituunt, poenam irroget. Res vero majoris momenti ad nos deferat, ut juxta Tridentinum de illis apud duumviros in congregatione disciplinae, si oporteat, agamus.

13. Inter praecipuos Seminarii collegiique moderatores recensendum esse ducimus Magistrum pietatis, seu Directorem spiritus, qui gravitate, doctrinae fama, vitaeque sanctimonia sibi benevolentiam, auctoritatem atque observantiam conciliet. In id adlaboret vehementer, ut juvenes, in Ecclesiae et societatis spem crescentes, ea in aetate periculorum plena, assiduitate, vigilantia, prudentia, monitis et consiliis pie sancteque instituat. Eorum conscientias regat, eosque confitentes benigne audiat. Id vero sit in solerti ejus judicio positum, an saepius, nec ne ad angelorum mensam juvenes admittat: at volumus quidem, ut adolescentes spirituali communioni assuetos reddat. Insuper ne quis adolescens, sine absolutione dimissus, Eucharistiam, vana verecundia ductus, sumere audeat, juvat quandoque eos etiam, qui inculpatam vivunt vitam, spirituali tantum communione reficere. Adolescentium Orationi tum vocali tum mentali, mane praesertim noctuque intersit, singulis sabbatis vespertinam ad eos post scholam sermonem habeat; sacrasque etiam, si Rectori visum fuerit, functiones peragat. Quidquid demum ad pietatem pertinet, id sui muneris esto. Oportet autem, ut nocturna diurnaque manu haec tria verset opuscula — Il Santo Prete — la guida de' Seminaristi — lo zelo Ecclesiastico.

14. Tantum est Magisterii munus, ut ab ea, qua utuntur Magistri, vivendi docendique ratione, tum litteraria, tum moralis adolescentium institutio pendere videatur, praesertim cum juvenes sibi Magistros in instituendo vitae curriculo ad imitandum proponant, eorumque cogitationibus atque operibus animum mentemque suam vel saepissime conformare soleant. Hinc fit, ut Seminarii collegiique ordo, et disciplina Magistrorum exemplo et doctrinis tam facile confirmari perturbarique possint. Quare Juvenibus Magistri pulcherrimo omnium virtutum exemplo praeluceant. Seminarii Collegiique legibus adhaereant: adolescentium ingenia, in sua quisque provincia, diligentissime excolant, et ad assiduam studiorum exercitationem, ea, qua poterunt, ratione compellant. Pietatem, timorem Domini, praecipuasque veritates in eorum animis instillent. Refellant etiam, si qui sint, mentis errores; eorumque imperitam contra insanientes pravasque doctrinas aetatulam puris putis catholicisque principiis muniant, ac tueantur. Omnis enim institutionis ratio eo spectare quidem debet, ut possint adolescentes praestantissimi evadere Ecclesiae Ministri. Statutis horis assiduus adsit in schola Magister, et studeat, ut juvenes tum silentio, tum alacritate pensum quisque suum accurare satagant; eosque docilitate, mansuetudine, humilitate atque obedientia assuetos reddere conetur. Non invidam

sed probam excitet aemulationem: negligentes arguat, paenaque multet: omniumque ingenii metiatur vires, indolemque scrutetur. Libros denique explicandos, habendamque in docendo, quam immutare non audeat, methodum, ipsi praescribemus.

DE PRAEFECTIS.

15. Qui ingenio, pietate, optimisque, si fieri poterit, disciplinis alios supereminent adolescentes, seligantur Praefecti. Hi enim diligenter gerendae alumnorum curae sunt praepositi regularum vindices, eorum vitae testes, additique censores. Hinc omni virtutum genere, studii diligentia, urbanitatis gratia, civilique cultu ac nitore omnibus antecellant necesse est: depositum quod susceperint, summa sedulitate custodiant; nec sinant, ut adolescentes a sua sese unquam subtrahant vigilantia; nec ut cum exteris aut propinquis sistant, loquantur, comitentur in via; nec ut quempiam in consortium, aut ad colludendum recipiant. Praefectus videat, ne quis e cubiculo, quamvis Rectorem adeat, sine venia exeat. Caveat etiam ne quis adolescentium propriam ingrediatur domum; nec quidem eos in Seminario Collegioque ipso cum aliquo extero, nisi prius fuerit facta facultas, quae post solis occasum vix detur, colloqui patiatur. Ipse ante studium lumen sancti Spiritus per eam, quem

in appendice (1) damus, orationem imploret, et gratias post illud agat. Tempus orationis studiique statutum diligenter integrum servari curet. Post omnes cubitum eat: ante omnes janitoris signo assurgat. Ea denique sit humanitate, ut nemo sui regiminis ratione gravetur.

DE OECONOMO ET DE QUATUOR VIRIS DEPUTATIS.

16. Duo sane, ex quibus omnis pendet Seminarii Collegiique salus et conservatio, in eo, qui Oeconomus constituitur, requirenda sunt, in gerendis scilicet negotiis industria, ac in bonis administrandis peritia. Consilium enim in providendo reditus duplicat: praedia bene culta, et ex arte consita, sunt divitiarum fontes, unde alitur, quidquid ad Seminarii collegiique confert commoditatem, incrementum ac firmitatem. Oeconumus igitur non solum integra fide sit, sed non mediocri etiam dexteritate praeditus, ac de agricultura perìtus. Omne peni genus suo quidem tempore comparet. Sedulam impendat curam, ut omnia niteant decentia et munditie. Quoad dapes nihil desit, quod non ad satis aptam, congruamque conferat alimoniam. Hinc epulae sint satis coctiles, sint salutiferae, sint in omni re condimentaria innocentes. Quatuorviri praeterea, qui in hujusmodi procura-

---

(1) Vide appendicem N.

tione Episcopum, consilii dumtaxat gratia, adjuvent, ex Concilii tridentini decreto deputentur oportet, duo de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, (1) alter a Capitulo eligendus est; duo de Clero civitatis, quorum alterius electio ad Episcopum, alterius vero ad Clerum urbanum pertinet. Hos saepe apud nos advocabimus, ut tum de impensis et de rebus in alumnorum victum comparandis, tum de aliis negotiis et de bonorum praesertim administratione eos consulamus. Verum de iis, quae ad Seminarii Collegiique disciplinam ac decorem spectant, aut quovis modo referuntur, Oeconomus semel in omni hebdomada cum Rectore agere teneatur. Libellum etiam, ubi quotidie adnotantur impensae, in cujusque mensis fine; aerarii autem statum singulis quatuor mensibus ad nos deferat. Explicatissimam denique totius gestae administrationis mense septembri, coram nobis et quatuorviris rationem reddat.

17. Omnes denique Seminarii collegiique moderatores hortamur in Domino, ut pulcherrima operum animorumque consensione in jucundissima hac nostra vinea, quam, ut pupillam oculi, diligimus, una simul adlaborent, ut multiplicentur genimina sanctuarii, Ecclesiaeque nostrae campi fructuum (2) repleantur ubertate. Alumni igitur nostri, pie san-

---

(1) Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. de Refor.
(2) Psal. 64. v. 11. et 12.

cteque instituti, crescant in circuitu tabernaculi Domini: ipsi quidem, tamquam ligna secus decursus aquarum, laetissimos dabunt fructus in tempore suo.

CAPUT II.

DE PUERORUM ET PUELLARUM SCHOLIS.

---

1. Verae quidem sapientiae non est infensa, ut numquam fuit, sed amica, et bonis artibus incitamenta praebet Religio Christi: ita tamen, ut religiosa et litteraria institutio, inita inter se pulcherrima societate, simul conjungatur. Nemo unus est, qui non videat, religiosam institutionem per se ad ecclesiasticam attinere potestatem ac disciplinam; et caeteras institutiones, ut innoxiae sint, non debere omnino Religionis adversari documentis. Quoniam vero facile poterat, vel dolo malo, vel errore contingere, ut in doctrinis tradendis contra puritatem religiosae doctrinae peccaretur; hinc necesse fuit, ut Episcoporum sollicitudini scientiarum litterarumque palaestrae essent obnoxiae.

2. Verum cum ea sit hujus temporis pravitas et nequitia, ut omnes impietatis conatus ad morum honestatem Catholicamque fidem in animis praesertim adolescentium extinguendam sub specie etiam litterariae institutionis conferantur; si unquam alias, nunc certe ad pueros atque adolescentes omnium virtutum pietatisque documentis imbuendos pastoralis debet incumbere sollicitudo.

Quae igitur summi Pontifices, et praesertim Leo XII hac de re statuerunt; ea nunc ad omnes Dioecesis nostrae regendas scholas, cum de Seminario Collegioque peculiarem jam titulum tradidimus, in medium afferre arbitramur.

3. Ut primum eo, quo par est, consilio publicis cujuscumque Communitatis scholis consulamus; tum ea, quae Leo XII. in constitutione — Quod divina Sapientia — praescripsit; tum ea, quae sacra Congregatio studiis regendis decrevit, vel diligentissime servanda praecipimus.

4. Laetamur in Domino, nullum esse in Dioecesi oppidum, in quo pro pueris instituendis schola desideretur. Nobis etiam jucunda fuit illa animorum consensio, qua plura responderunt oppidorum comitia pastoris hortatibus pro scholis ad erudiendas puellas statuendis; ita ut jam nullum fere oppidum hujusmodi bono careat. Quod ut in omnibus fiat, iterum vehementer hortamur; nec nostram hanc irritam spem ac inanem fore ducimus.

5. Qui ad pueros erudiendos advocantur, ii sint viri, quantum fieri poterit, Ecclesiastici, caeteris paribus, semper praeferendi laicis; nec non morum sint integritate, pietate, omniumque virtutum exemplo commendati. Ad magistrorum enim mores sese discipuli conformant; et grandior aetas ea facile praecepta servat, quibus finxit teneris, ut ita dicamus, ab unguiculis mollem animum magistrorum educatio.

6. Hisce praeesse (1) scholis nobis superallata tribuit constitutio. Virum in singulis communitatibus ecclesiasticum a nobis delectum destinabimus, (2) qui per se advigilet in iis omnibus, quae ad doctrinam et mores spectant — Quos autem scholis praefecerimus, ii anno scholastico exeunte de scholarum statu (3) nos admoneant.

7. Tum vero ut regulae scholasticae disciplinae ea, qua decet, diligentia adimpleantur; tum ut praeceptores, et discipuli suo, quisque, fungantur munere; tum denique ut ordinis habeatur (4) ratio, Magistratus ipsi cujusque oppidi curare tenentur; atque in haec omnia incumbant vel maxime.

8. Magistratus pro scholis, quae vacant, publicis litteris diem concursus edicat; ac delectos pro periclitanda concurrentium doctrina viros adhibeat. (5)

9. Experimentum coram Magistratu Episcopique legato habendum est; nec nisi post experimentum, convocentur comitia, quibus Episcopi legatus (6) intersit. Qui majorum fuerit suffragiorum numero magister renuntiatus, is necessaria indiget Episcopi probatione, sine qua irrita cadit electio (7).

---

(1) Leo XII. Const. Quod divina Sapientia §. 137.
(2) Const. Leonis XII. loc. cit.
(3) Eadem Const. §. 139.
(4) Eadem Const. §. 140.
(5) Eadem Const. §. 141.
(6) Eadem Const. §. 142.
(7) Eadem Const. §. 143.

10. Ex lege status pontificii Communitatum Comitia ferant, stato tempore, de Magistris suffragia. Si vero extra id temporis publicus Magister, justa ex causa, a docendo removendus esse videatur; res ad nos deferatur. [Factis enim consultationibus Magistro docendi munus abrogabimus ad tempus, si aequum id videbitur; et pro ulterioribus decernendis rem ad sacram Congregationem referemus (1).

11. Minime dubium est, quin Episcopus, ex gravibus causis jam sibi perspectis, publicum Magistrum a docendi munere possit ad tempus removere, invitis etiam oppidi comitiis, quibus vel Episcopo repugnare, vel rem in dubium vocare nefas est, et vetitum (2).

12. Regulae, quas nos ferimus, in quacumque schola publice patebunt, legendae. Quae autem pro puerorum aetate et classibus; pro experimentis et praemiis, caeterisque omnibus sancita sunt; ea vel diligentissime serventur.

13. Pueri in doctrina Christiana, quam addiscent in tradito a nobis libello adolescentes autem in catechismi romani studio quotidie versentur; et in postrema cujusque hebdomadis schola a pueris, atque adolescentibus catechetica habeatur disputatio.

14. Sedulam praeterea magistri operam dabunt,

---

(1) Eadem Const. §. 145.
(2) Eadem Const. §. 146.

ut discipuli vel ante vel post scholam matutinam quotidie sacrosancto Missae intersint sacrificio; et, post scholam quoque vespertinam, Ecclesiam statim adeant, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum adoraturi. Saltem bis in mense ad poenitentiae Eucharistiaeque Sacramenta ea, qua decet, pietate omnes accedant.

15. Quae omnia superallata eo, quo congruunt, modo pro puellarum etiam scholis servanda edicimus. Verum non solum ad religiosam, ac satis idoneam litterariam institutionem, sed ad foemineas etiam artes studioso puellis incumbendum est animo. Videant Magistrae alumnarum indolem, ingenium, et conditionem; pensum quotidie dicent, habita etiam ad loca et ad familias ratione. Operentur enim (1) puellae consilio manuum suarum; et in laboribus a juventute sua (2) versari consuescant. Sic rite recteque procedit cum reipublicae bono puellarum institutio.

16. Ad scholam autem saepius invisendam, stimulosque ad bonum addendum, et ad malum, si quod irrepserit, eliminandum nos Ecclesiasticum pro qualibet schola destinabimus virum, qui nos etiam, singulo quoquo trimestri, de scholarum statu certiores faciat.

17. Omnes praeterea, quae per Dioecesis oppida docent, magistrae, mense Octobri, quotannis,

---

(1) Proverb. 31. v. 13.
(2) Psal. 87. v. 16.

stato die, in hanc civitatem conveniant, spiritualibus per triduum exercitiis vacaturae apud Moniales a Sancta Anna.

18. Nemo scholas in Dioecesi privatas instituere praesumat sine nostra in scriptis facultate, quam si dabimus, quidquid a studiorum Congregatione (1) sancitum est, id omne sartum tectum servetur.

---

(1) S. Stud. Cong. 25. Septemb. 1825.

CAPUT III.

DE LAICORUM CONFRATERNITATIBUS.

---

1. Quosdam Fidelium coetus, eo constitutos consilio, ut tum pietatis, tum charitatis opera inter se et erga alios exercerent, ab ipso nascentis Ecclesiae exordio extitisse novimus. Sed cum coetus illi, non, veluti sodalitia nostra, legibus in bene constituta collegia coaluerint, ne nomen quidem Confraternitatis aut sodalitii sibi vindicare posse videntur. Saeculo XII. quaerenda profecto est confraternitatum origo. Sanctus enim Bonaventura, Ecclesiae lumen, nostraeque civitatis decus et ornamentum, eam, quam dicunt de Confalone, Confraternitatem (1) Romae constituit anno 1260. quam etiam sacco, vexillo, aliisque signis decorandam curavit. Hujusmodi autem institutio sic fuit, praesertim ab Italis, probata, ut non solum Civitates et oppida, sed Paraeciae ipsae (2) sodalitia sibi constituenda studuerint.

2. Nunquam satis profecto laudandum est erigendarum sodalitatum consilium, in quibus fideles, icto inter se charitatis foedere, ea quaerere curant, quae ad Deiparae, Sanctorumque vene-

---

(1) Wading. Ann. Min. ad an. 1279.
(2) Ferr. V. Confraternitas.

rationem magis augendam, ad virtutum exercitium studiosius amplectandum, atque ad animarum salutem facilius assequendam plurimum conferunt. Cum vero hujusmodi sodalitates tum Religioni, tum moribus utiles sint, optimisque foecundae fructibus: ne unquam a sibi proposito dilabantur fine, nec in tanta hujus temporis nequitia in deterius pessumque ruant ac dispergant; quid ipsis agendum, et quid praecavendum sit, hic statuere pro muneris nostri ratione ducimus.

3. Nulla sodalitas etiam in Regularium Ecclesiis, censeatur legitime (1) instituta; nec illa, jure optimo jam erecta, alicui sit Archiconfraternitati (2) aggreganda, nisi prius consensus Episcopi accesserit atque approbatio.

4. Quaevis sodalitas, nisi duodecim saltem fratribus constet, aut tanquam extincta habenda sit aut fratrum numero augeatur. Habeat etiam aptissimum legum codicem, seu regulas, nobis prius approbandas, quibus fratres singuli obtemperent, necesse est: ac propterea eas, aut partim, aut in totum in omnibus perlegant generalibus Comitiis. Si hujusmodi codice sodalitas careat, aut nondum per nos approbatis utatur legibus, intra trimestre officiales eas conficiant, et has, vel illum ad nos mittendum curent.

---

(1) Clemen. VIII. Const. Quaecumque an. 1604. — Paul. V. Const. Quae salubriter 1610.

(2) Clem. VIII. loc. cit.

5. Si quis doctrinae Christianae ignoratione laboret, nec vitae integer sit, in sodalium numerum non adsciscatur: si quis autem jam adscriptus, vel litium cupidus, vel facinorosus, vel publicae infamiae nota inustus, vel inverecundo ingenio ac inhonestis moribus foedatus, aut nimis negligens in communibus persolvendis officiis, ter monitus, non resipiscat; ex fratrum albo, auctoritate nostra, deleatur. Hinc Censores duo, vitae integerrimi, qui hujusmodi menda adnotent, quotannis eligantur. Si quis praeterea pluribus sodalitiis nomen dederit non pietatis, sed privilegiorum gratia; in iis singulis tanquam non adscriptus habeatur. De fratribus vero in sodalitatem admittendis, et inde extrudendis, regulas in appendice dabimus.

6. Sint praesertim sodales in iis operibus exercendis solliciti, quae omnino propria ac peculiaria sunt confraternitatis. Oratorium, aliasque de more preces sine justa causa nunquam omittant: statis praesertim diebus Confessionis adeant atque Eucharistiae sacramenta. In Sanctum, sodalitatis tutelarem, diem festum agant. Quidquid autem ad sodalium disciplinam pertinet, dabitur in Appendice. (1)

7. Praesides et officiales respondeant pro persolvendis sodalitatis oneribus: in quos etiam poenis

---

(1) Vide Appendicem N.

animadvertemus, si renuerint. Si vero apud sodalitium sit jus electionis ad Beneficia, caveant sodales sub poena nullitatis, ne minus dignos dignoribus, ne Clericos Sacerdotibus praeferre audeant.

8. Processionibus ex consuetudine generalibus, vel iis per nos indictis, (1) sub poena irroganda sodalitates omnes intersint: ad alias autem supplicationes accedant illae, prout mos postulat. Eum in Processionis incessu ordinem sibi locumque habeant, quo vel ex jure, vel ex originis antiquitate quaeque potitur. Si de SS. Eucharistia solemnis per vias habeatur supplicatio, sit dignior SS. Sacramenti (2) sodalitati locus.

9. Sacerdotem, qui, a nobis approbatus, sacris adsit, et ad sodales identidem sermonem habeat, a sodalitatibus elegi volumus. Caveat hujusmodi Cappellanus, ne quid sibi arroget ex Parochi muneribus. Si vero sodalitatum Cappellae erectae sint in Ecclesiis parochialibus, aut in aliis parochiali jurisditioni subjectis, tunc Cappellanus in functionibus etiam non (3) parochialibus a Parochi voluntate omnino pendeat, et decretis obtemperet, quae S. R. C. hac super re edidit, ut videre est in appendice (4).

---

(1) Vide titulum hujus Synodi de Processionibus.
(2) S. R. C. in Vercellen. 1695. — In Cremon. 1697.
(3) S. R. C. 12. Jan. 1704.
(4) Vide in Appendice N. Regulas Confraternitatis.

10. Singulis etiam annis, aut omni biennio, juxta sodalitii leges, eligantur praesides, atque alii, qui sodalitatis munera obeant, quod magnum quidem est, maximique momenti. Hinc enim societatis ordo, hinc incrementum, hinc charitas oriri solet, animorumque consensio. Variae inde provinciae iis tantum demandandae sunt, qui tum gravitate, prudentia, integritate, tum fortunis, studio, rerumque agendarum notione et peritia caeteris fratribus antecellunt. Horum electio, a nobis semper approbanda, in generalibus comitiis per suffragia semper secreta sub poena nullitatis fiat coram Vicario Generali in civitate nostra, sed in Dioecesi coram Vicariis foraneis, et si desint, coram Parocho qui non solum his, sed omnibus etiam comitiis interesse debet. Tertio habito scrutinio, si electio sequuta non sit, hanc ad nos devolutam volumus. Quidquid autem in comitiis habendis, in sodalium muneribus, ac in rerum administratione servandum sit, dabitur in appendice (1).

11. Ut autem in unoquoque sodalitio omnia rite recteque sese habeant ac consistant, quinque codices cuiquam sodalitati sint. Primus inscriptorum sodalium, nec non candidatorum, atque officialium nomina, et cognomina ordine duplici referat. Secundus regulas, seu constitutiones conti-

---

(1) Vide Append. N.

neat. Tertius accepti datique rationes, totamque praeseferat administrationem. Quartus omnes amplectatur omnium Congregationum resolutiones, et decreta. Quintus denique omnia descripta ferat sodalitatis bona tum stabilia, tum mobilia, nec non obligationes, legata, jura, et singula onera. Suum quaequae societas habeat armarium duabus munitum clavibus; quarum altera sit apud illius Praesidem, vel Rectorem; altera apud optimum aliquem sodalem: in quo armario non solum codices, sed etiam instrumenta, testamenta, ac etiam erectionis, indulgentiarumque documenta, nostraeque Synodicae asserventur Constitutiones.

CAPUT IV.

DE DOMIBUS HOSPITALIBUS.

—

1. Christus Dominus tamquam sibi factum datumque affirmavit, (1) quidquid ad esurientes alendos, et ad nudos, hospites, infirmosque juvandos contulerimus. Fuit etiam inter Ethnicos hospitii consuetudo; quod erat potius quoddam amicitiae genus ex constituta utilium officiorum vicissitudine ductum. Sed Hospitales Christianorum domus, ubi pauperes aluntur, peregrini hospitantur, aegrotorum cura suscipitur, ex gratuita illa germanaque charitate, Ethnicis ignota, quae Christi Domini nostri voluntate innititur, habent originem.

2. Inter autem praecipua Christianae Charitatis opera, merito habentur Valetudinaria, ubi non solum hospitantur, sed omni ope, auxilioque juvantur aegroti, quos et Christus et apostoli curare et sanare nos (2) docuerunt. In illis enim praesto est, quidquid ad animorum salutem, corporumque valitudinem comparandam conferre possit. Hinc ipsa sunt, et praeclarissima nostrae Religionis monumenta, et perutilia omnis Reipublicae instituta, quae, ut pietate, optimaque admini-

(1) *Matth. 28. v. 25. et seq.*
(2) *Matth. 8. 16. — Luc. 8. v. 16.*

stratione regantur, omnem nostram tridentini (1) Patres quaerunt sollicitudinem.

3. Ad Hospitalium res pie, diligenter, summaque integritate moderandas constituantur quatuorviri, nobis eligendi, quorum cura sit, hospitalia ipsa, eorum bona, ac jura omnia, in consilio a nobis advocato regere, discutere, tueri, deque re proposita, quid sentiant, libere loqui.

4. Sit insuper, a nobis electus, administrator, qui, anteaquam suo defungi aggrediatur ministerio, accuratissimum (2) perficiat inventarium, in quo describantur hospitalis domus bona, fundi, reditus, supellex, et res cujusvis generis; nec non juramento nobis praestito spondeat, sese acturum, quae omnia (3) recta et utilia existimaverit. In id autem vel maxime incumbat, ut bona deperdita recuperentur: praedia sint culta diligenter; aedificia reparentur; onera adimpleantur; reditus quidem eo, quo sapiens Paterfamilias utitur, consilio (4) impendere curet. Sedulam etiam dabit operam, ut lecti, cubicula, omnisque supellex munda sit, sed praesertim sacellum niteat munditie. Nec quidquam lucri ex hujusmodi administratione (5) sibi comparet, sibique vindicet; nec ab alio

---

(1) Concil. Trid. Sess. 7. de refor. cap. 15.
(2) Clement. 2. de Relig. domibus — et in Novell. 113. cap. 15.
(3) Concil. Mediol. I. p. 1. Tit. de pior. loc. adm.
(4) Clement. 2. de Relig. Dom.
(5) L. 49. Cod. de Epis. et Cler.

id fieri consenserit sub poena (1) Excommunicationis. Advigilet insuper, qua pietate et modestia tum aegroti, tum inferiores ministri in valetudinario versantur. De omnium denique administratione singulis annis (2) rationem nobis reddere teneatur; nec ultra triennium in suo maneat ministerio (3), nisi nobis aliter visum fuerit.

5. Duos quoque ministros fide, pietate et diligentia satis probatos, videlicet virum, qui viris, foeminam, quae foeminis famuletur, eligemus, ut diu noctuque maneant in Valetudinario. Quorum munus sit, cubilium, omnisque supellectilis curare munditiam; sedulamque curam in aegrotos impendere. Nihil infirmis, nisi lene, loquantur; nec eos male suscipiant, nec duriter habeant; sed charitate succensi, infirmis infirmi, omnibus (4) omnia fiant. Medicis obtemperent, eorumque dicto audientes sint. Caveant praeterea, ne quid ab aegris exigant; et si in hoc peccaverint, ab officio removeantur in malitia sua. Videant etiam Hospitalarii, ne pueri simul una cum aliis eodem cubent in lecto; nec sinant, ut personae malae, et suspectae ad otiandum, vel detrectandum accedant; aut homines, ibi decumbentes, mulierum adeant mansionem, vel e contra. Mane insuper

(1) *Concil. Trid. sess. 22. cap. 11. de Refor. — Extrav. Ambitiosae de rebus Eccl. non alienandis.*

(2) *Clement. 2. de Relig. domib. Novell. 123. cap. 23.*

(3) *Concil. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 8.*

(4) *1. ad Corinth. 9. v. 22.*

et vespere una cum aegrotis recitent elata voce. 1. Orationem dominicam et angelicam salutationem. 2. Symbolum Apostolicum. 3. Actus fidei, spei, charitatis, et contrictionis. 4. Litanias lauretanas quibus hora vespertina addatur Rosarium B. M. V. Non solum prima noctis hora hospitalem Domum, sed etiam aegrotorum cubicula noctu claudant, clavesque custodiant; nec, antequam dies lucescat, cubicula aperiant.

6. Cum Valetudinarium, quod hac in nostra civitate reperitur, tum viris, tum mulieribus, sejuncta in mansione, curandis destinatum sit; unum ex duobus Parochis urbanis pro viris, alterum pro foeminis infirmis jam constitutos, confirmamus. Quorum munus erit, aegrotos de suscipiendis sacramentis monere, rudes de rebus fidei instruere; aegrisque singulis intra horas, postquam Valetudinarii limen attigerint, veginti quatuor, ac inde bis in mense, et quoties mortis periculum immineat, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ministrare, ac suprema morientis Officia persolvere. Ad haec omnia incumbant Parochi vel diligentissime pro sua quisque mansione. Quo enim animus pretiosior est corpore; eo diligentior cura de illo habenda est.

7. Medici singulis diebus bis, vel pluries ea, qua decet, modestia et diligentia aegrotos invisent, et, quae praescripserint, medicamina adnotent in libro apud administratorem custodiendo. Si vero quod praescripserint, neglectum infectumve

deprehendant, ministros arguant et de iis, in quae peccatum sit, administratorem, aut Vicarium Generalem certiorem reddant. Quidquid etiam clamoris strepitusque, quod infirmis nocere, taediumque facere possit, intra valetudinarium invenerint, videant, ut quam citissime eliminetur.

8. Si Domus hospitalis eas habeat leges, ut cujusdam tantum Communitatis pauperes aegrotos gratuito recipiat; id ex Concilio Tridentino (1) servari mandamus. Verumtamen recipiendi non sunt, nisi qui febre laborant, usquedum convalescant. Si quis e vita decedit et pauper sit, gratis exequiae fiant, et unam saltem celebret Missam Parochus, aut piorum Eleemosynis celebrari curet. Si aegrotus vita decedit intestatus, omnes ejus res Haeredibus reddantur: si autem haeredes deficiant, earum dimidia pars hospitali, et altera dimidia defuncti animae expiationi applicetur (2).

9. Quidquid autem de reditibus superest, administrator sine nostra illud venia impendere caveat, cum id nobis erogandum (3) spectet. Liber etiam sit administrationis, et alius, ubi Missarum onera earumque satisfactio adnotetur. Praeter hos vero, tres alii sint codices: in quorum uno aegrotorum nomina, cognomina, aetas, annus, dies, morbus inscribantur: alter sit liber, ubi, quid

---

(1) Concil. Trid. sess. 25. cap. 8. de Refor.

(2) Auth. Omnes peregrino. C. Commun. de success. sub Honor. III. Const. Has leges An. 1220. approb.

(3) Concil. Trid. loc cit.

rerum ad aegrotos singulos spectat, adnotetur. Tertius autem referat eorum mansionis, mortisque tempus. Sit etiam regularum codex, epularumque tabella, nobis approbanda, quae integrum, medium, atque infimum edulium exhibeat ex medicorum consilio praescriptum.

10. Hospitalium denique curatores hortamur in Domino, ut muneri, quo sese Christo offerunt in pauperum ministerio, usque et usque optime respondeant. Is etiam, qui Valetudinarii bona administrat, meminerit, quam salebrosam regere provinciam susceperit; erectoque sit animo, in re integre solerterque gerenda. Studeamus omnes ad aegrotos reficiendos, solandos, atque omni, qua possumus, ope juvandos accedere. Quod sponte facere libenterque non omittemus, si meminerimus, Christum Dominum in die novissimo eos condemnaturum esse, qui infirmos non visitarunt (1).

---

(1) Matth. 25. v. 43.

CAPUT V.

DE MONTIBUS PIETATIS ET FRUMENTARIIS.

---

1. Ad pauperes, qui vel annonae caritate laborant, vel duris calamitatis angustiis premuntur, non foenebri tum frumenti, tum pecuniae suppeditatione juvandos, immo a foeneratorum cupiditate eripiendos, instituti sunt Montes pietatis et frumentarii, qui vere dici possunt firmamentum gentis, et stabilimentum (1) populi. Hinc non solum summi Pontifices, et in Concilio (2) Lateranensi V. Leo X., hujusmodi montes tamquam praeclarissima Christianae Charitatis monumenta habuerunt; sed etiam Tridentina Synodus inter pia opera recensere, atque Episcoporum jurisdictioni, et curae et visitationi (3) subjicere voluit: quamvis essent ex publico aerario, vel ex privatorum frumento et pecuniis erecti, et ab ipsis communitatum comitiis, et a laicis administrarentur.

2. Nostra igitur pastoralis erga pauperes sollicitudo, nec non maximum Reipublicae bonum jure meritoque postulant, ut hujusmodi Montium ad-

---

(1) Ecclesiast. 49. v. 17.

(2) Leo X. Cost. Inter Multiplices — S. C. E. approbat. ab Urbano VIII. 14. Feb. 1632.

(3) Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. de Refor. — S. C. E. In fulginat. 24. Febr. 1652. — et Montis Falisci 6. Jun. 1695.

ministrationi, atque incremento in nostris hisce constitutionibus consulamus.

3. Ut Pietatis frumentariique Montes sint integri, sint florentes, sint perpetui, atque augeantur in dies; illis praeficiantur oportet administri fidi, prudentia, religione praestantes. Hujusmodi homines ad Montes procurandos eligemus, aut electos ab iis, qui electionis jure potiuntur, (1) confirmabimus: quod vero jus ad nos devolvitur, nisi intra mensem fiat electio. Qui autem electi approbatique administratores fuerint, antequam suum suscipiant quisque munus, idoneum in cautionem exhibeant fidejussorem; ac in urbe coram Vicario Generali, in Dioecesi coram Vicariis foraneis jurare tenentur, sese provide diligenterque suum persoluturos (2) Officium. Haec vero electio, nisi lex peculiaris obstet, nobisque aliter visum fuerit, ultra triennium non protrahatur.

4. Singulis quoque annis, reddenda est coram Vicario Generali vel Vicariis Foraneis totius praestitae ratio administrationis, (3) ad quam ea, qua decet, lance perpendendam advocentur viri peritissimi: quod necesse est, magnique ponderis; cum non ex alia causa plurimi ex piis montibus eversi periere. Quare tridentini Patres voluerunt, ut hu-

---

(1) S. C. 28. Febr. 1640.
(2) Concil. Mediol. 1. par. 3. tit. de Piis locis.
(3) Concil. Trid. sess. 22. cap. 9. de Reform.

jusmodi ratio nobis redderetur, etsi ex consuetudine, vel privilegio, vel ipsius constitutione loci eadem aliis esset reddenda. Aliter enim factae liberationes administratori non suffragarentur. Hinc Communitatum comitia sciant, Montes quovis modo, aut a quibusvis (1) erecti fuerint, nostrae subjici Visitationi ita, ut tum libri, tum statuta nostro sint examini (2) exhibenda, ne foeda usurae labes impune irrepere unquam possit.

5. Administratores, suo jam functi munere, per inventarium, (3) quod in suscipienda administratione confecerunt, eos, qui sibi succedunt, moneant de omnibus, quae inscripta sunt. Praeterea coram Vicario Generali, aut Foraneo vel coram iis, quos interesse legavimus, successoribus tradant, quidquid frumenti et pecuniae, quidquid rerum ceterarum est simul cum dati acceptique codicibus. Novis autem officialibus, juxta eas, quas praebemus in appendice (4) regulas, tota peragenda est administratio.

6. Invigilent vel diligentissime administri, ne pignora et frumenta in pessum eant ac vitientur. Si quid eorum incuria dispereat, aut deterius fiat, damnum rependant. Quod si pecunias juxta mon-

---

(1) Concil. Trid. sess. 22. cap. 7.
(2) S. C. C. In Montis Falisci.
(3) S. C. 28. Jan. 1640.
(4) Vide Appendicem N.

tium statuta non erogent, gravi pecuniaria poena damnentur.

7. Si pignorum Domini intra tempus statutum ea redimere neglexerint; praeconis voce illorum peragatur venditio; qua peracta quidquid ultra acceptam pecuniae summam reliquum fuerit, pignoris domino reddatur. Juxta vero leges, quas tradimus in appendice, administratores Montis frumentarii, mense Augusto eam colligant, quam mutuo dederint, frumenti quantitatem; nec non meminerint, sese tantam frumenti copiam de proprio solvere teneri, quantam ex negligentia a debitoribus recuperare omiserint.

8. Praeterea caveant administri, ne quid, praeter stipendium jam statutum, sibi arrogent; ne quid a mutuatariis, etiam sponte oblatum, accipiant. Pro pecunia etiam a piis locis deposita nihil mercedis exigant, et qui in hoc peccaverint, punientur. Verum cum cuique liceat in his Montibus tum pecuniam, tum alia pretiosa custodienda deponere; administris ultra quam unum in singulis nummis centenis pro hujusmodi custodia exposcere interdicitur.

9. Quod si administri sine Apostolicae Sedis auctoritate pecuniam frumentumque publicum, quovis praetestu quaesitoque colore innixi, in alios, quam in Pauperum usus, contra montium statuta, convertere praesumpserint, non solum quamprimum rem Montibus ipsis restituere tenentur;

sed etiam summo Pontifici reservatam incurrunt ipso facto (1) Excommunicationem.

10. Qua poena aliisque gravissimis feriuntur ipsi, si pignora, vel pecuniae aut frumenti partem subtrahant, et sibi aut aliis arrogent; si rem oppignoratam confringant, immutent, vel unam pro alia describant; si syngrapham, nulla pecunia deposita, conficiant, aut majorem vel minorem pecuniae summam, quam, (2) quae delata est, inscribant; aut si quid disperdiderint ex culpa.

11. Cum hujusmodi Montes a quavis usurae labe immunes esse debeant; cautum jure est, ut pro frumento pecuniisque traditis, accepto jam pignore vel cautione, fas sit, tantummodo pro montium impensis et idemnitate aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas et aliarum rerum ad illorum conservantionem pertinentium pro eorum idemnitate dumtaxat, ultra (3) sortem, absque lucro eorumdem Montium recipere. Si vero, quod supra sortem pro ministrorum stipendiis sumitur, impensas superet; tunc stipendia (4) impensis aequari mandamus. Praeterea frumentum pecuniaeque, si supersint, (5) in pauperes alendos juvan-

(1) Paul. V. Const. Onerosa 5. Febr. 1615. — S. C. E. proban. Urb. VIII. 14. Febr. 1632.

(2) Bened. XIII. Const. Jamdudum. 1729.

(3) Leo X. Const. Inter Multiplices — Concil. Lateran. V. sess. 10.

(4) Bened. XIV. de Syn. Dioeces. lib. 10. cap. 5.

(5) S. C. C. 1. Martii 1704.

dosque erogentur. Apostolicae enim Sedis dispensatione tantummodo mons ipse poterit pro bono sui (1) a mutuatariis quidquam majus exigere.

---

(1) S. C. C. apud Bened. XIV. loc. cit.

PARS QUINTA

DE SACRIS DE RECTA MORUM DISCIPLINA ET DE FORO EPISCOPALI.

CAPUT I.

DE FESTORUM DIERUM OBSERVANTIA.

1. Homines naturae lege doceri, aliquid ad vacandum divinis concedere temporis, Angelicus doctor monet, (1) et omnium temporum memoria testatur. Nullam enim extitisse gentem tam feritate trucem, quae statos in Deorum cultum festos dies non habuerit, historici etiam vetustiores memoriae prodiderunt. Accedit etiam jus positivum, quo Deus, Coeli terraeque Opifex, sibi diem septimum in ipsa mundi creatione sanctificavit; posteaque populo suo praecepit, ut sabbato ab operibus quie-

(1) S. Thomas 2. 2. qu. 122. art. 4.

sceret — Custodite Sabbatum meum; Sanctum est vobis — sex diebus facietis opus; in die septimo Sabbatum est, requies sancta Domino — (1) Praeceptum hoc Christus Dominus, qui non venit solvere legem sed adimplere, confirmavit.

2. Apostoli autem, ut figurae succederet veritas, Hebraeorum Sabbato diem posteram, quae Dominica vocata est, sufficere statuerunt, cum haec est illa dies, quae tantis divinarum dispositionum mysteriis est consecrata, ut, quidquid est a Domino insignius constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum (2). In hac enim mundus sumpsit exordium; in hac resurrexit Christus; in hac Apostoli praedicandi Evangelii tubam sumunt; ac inferendum universo mundo sacramentum regenerationis, atque remittendi, et detinendi peccata potestatem accipiunt; in hac denique, promissus Apostolis, Spiritus Sanctus advenit (3).

3. Sed cum apud Hebraeos alii quoque dies festi, statis temporibus, celebrabantur vel ad praeclara Dei opera religioso cultu prosequenda, vel ad solemniores Deo gratias agendas; hinc in nova lege Sancta Mater Ecclesia, praeter diem Dominicum, alios quoque dies festos aut ad fidei nostrae mysteria solemnius recolenda, aut ad debitos Deiparae Virgini, Sanctisque Coelitibus honores reddendos indixit.

---

(1) Exod. 31. 14. 15.
(2) S. Leo Epist. 11. cap. 3.
(3) S. Leo Epist. 9. cap. 1.

4. Videant igitur fideles quo et quanto obstringantur praecepto ; et quam studioso Religionis officio diem Dominicum, aliosque per annum festos dies prosequantur, oportet. Sed cum luctuosis hisce nostris temporibus festorum dierum observantia tamquam pondus non ferendum habeatur ; ita ut eos violare parva vel nulla religio sit ; nonnulla hic praescribenda existimamus, ne Deus festa nostra fastidiat ac detestetur.

5. Quae ad dies festos rite celebrandos pertinent, ad duo redigi solent ex praecepto, ad abstinentiam videlicet a quibusdam operibus, et ad piam in aliis religiosamque exercitationem.

6. Cautum lege est, hoc praeceptum a media praecedentis diei nocte usque ad subsequentis noctis dimidium obligationem fidelibus irrogare.

7. Quae diebus festis interdicuntur, sunt opera servilia, mercatus, actusque forenses.

8. Concilium autem Meldense paucis his verbis opera servilia complectitur in cap. 77. in quo ait feriatos esse decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynecaeo, caementario, venatorio, forensi mercatorio, audientiali, ac juramentis exigendis (1).

9. Hinc mechanicae artes, opera fabrilia, ruralia et agrestia diebus festis non exerceantur. Sutoribus, fabris lignariis, Caementariis, omnique opificum generi, suis artibus operari non liceat.

---

(1) Concil. Maldense sub Sergio. 2. cap. 77.

Vetamus etiam, diebus festis segetum manipulos ad areas vehere, frumenta terere, nec non molere. Ne cui liceat faenum secare fructusque legere; nec vindemiae tempore desecentur uvae, ut die postero vehantur alio: vetitas etiam volumus importationes et asportationes quascumque, quoquo modo fiant.

10. Cum vero Sabbatum propter hominem factum sit, non homo propter Sabbatum (1), interdicta non habentur diebus festis ea opera, quibus in usu diurno homines indigent. Insuper si necessitas tum publica tum privata urgeat, aut publica quoque utilitas suadeat, (2) tunc in civitate a Vicario Generali, in Dioecesi a Vicariis Foraneis, et, si periculum est in mora, a suis Parochis quisque peragendi servilis operis veniam in scriptis impetrabit. In rusticorum vero gratiam et commodum, barbitonsoribus indulgemus tempore, quo Divina officia, aut supplicationes, orationesque publicae, aut conciones non habentur, suam artem exercere.

11. Quoad mercatus, diebus festis ne habeantur, cum eos leges ecclesiasticae interdixerint (3), audiatur Benedictus XIV. qui ad Ecclesiasticae ditionis Episcopos his verbis usus est gravissimis —

(1) *Matth.* 2. 27.

(2) *Concil. Rom. tit. XI. de fest. dier. Obser. cap.* 2.

(3) *Concil. Rom. de feriis cap.* 1. — *S. Pius V. Const.* 1. §. 8. — *S. C. C. in Ripan. Mercatus* 2. *Maji* 1711. — *et in Barchinonen.* 1683.

Qua de re omnem dubitandi ansam praecidentes, vobis per haec Apostolica scripta mandamus ne in Dioecesium vestrarum urbibus et locis mercatus fieri festis diebus patiamini. —

12. Nobis foret in votis, quae de mercatibus statuta sunt, eadem esse de nundinis statuenda. Sed hac de re quid sentit Benedictus XIV. suis verbis afferemus et servandum in Dioecesi nostra praecipimus sub poena pro ratione culpae irroganda — Constituite auctoritate nostra matutinas et vespertinas horas, quibus festo die, quo nundinae habentur, claudi debeant Apothecae, ne publica exerceri possint commercia, ut, qui ad nundinas confluxerunt, Missae sacrificio ac divinis officiis intersint, aliisque Christianis operibus festum sanctificent: vigilate ut omnia plene et exacte impleantur (1) — Verum in auxilium ministerii nostri etiam municipiorum comitia vocabimus, ut nundinae, quae statis diebus festis agi in Dioecesi solent, ad sequentem diem trasferantur.

13. Ne fideles diebus festis a cultu avocentur divino, omnes mercatorum officinae et Apothecae toto die festo sint clausae. Eas vero excipimus officinas, ubi medicamina veneunt, quae vero sint semiclusae, atque eas, ubi ad humanum victum necessaria venundari solent, eas etiam, quae vulgo Caffe vocantur, nec non cauponas; quas vero

---

(1) Bened. XIV. Const. ubi primum §. 30.

singulas divinorum officiorum tempore claudendas decernimus. Omnes autem officinae cujuscumque generis praeter eas, ubi medicamina veneunt, toto die claudantur diebus Paschatis, Pentecostes, Natalis, et Mariae Virginis in Coelum assumptae, sub poenis, ut in appendice (1).

14. Sinamus, ut Agasones et Cisiarii, qui pridie festum cum jumentis aut Sarracis iter susceperunt, prosequi pergant quo tendunt; sed sine venia Vicarii Generalis, aut Vicarii Foranei iter die festo aggredi vetantur.

15. Nec quid spectaculi diebus festis Funambuli, Circulatores, aliique id genus agant, nec quid vendant sine Vicarii Generalis aut Foranei venia. Ludos etiam licitos die festo interdicimus, nec non choreas, saltationes, scurrarum praestigias, scenicasque operas sub poenis ut in appendice; quas etiam luere decernimus, tum qui vel gratuito, vel mercede pacta domum ad haec ludicra praebent; tum tubicines, tibicines, aliique id genus.

16. Nec apponantur merces, nec circulatores, scurraeque prope quodcumque templum: nec in loco immuni congerant populi coronas, musicisque strepant instrumentis sub poenis in appendice.

17. Cautum lege est (2), ne diebus festis causae peragantur forenses. Hinc non erunt die festo exercenda judicia, nec de lite coram judice dispu-

---

(1) *Vide Append. n.*

(2) *Concil. Rom. cap.* Omnes — *cap.* Conqnestus *de feriis* — omnes Judices *Cod. Theodosiani de feriis.*

tandum, nec vocandus in quaestionem reus, nec juramentum in causis cujusque fori exquirendum. Vetantur Notarii, Actuarii, et Cancelliarii instrumenta, aliasque publicas conficere scripturas. Omnia enim hujusmodi acta irrita facit lex, praeter sponsalia, testamenta, piasque in obsequium Dei aut in egenorum auxilium dispositiones (1).

18. Quod vero pertinet ad praeceptum Ecclesiasticum, id est, ut omnes fideles omnibus Dominicis aliisque per annum festis pie et attente sacrosancto Missae sacrificio interesse teneantur sub mortali. Hinc Parochi populum doceant de re tam gravi, moneantque parentes, heros, agrorumque conductores, ut filios, famulos, operarios, subiectosque sibi agricolas, pecudumque pastores, ad Missae sacrificium adigant, desidesque increpent, ac pertinaces puniant, aut a famulatu officioque dimittant, donec resipiscant. Parochi etiam ad fidelium pietatem erga dierum festorum cultum magis excitandam populo exponant earum, quae celebrantur, solemnitatum originem et naturam, et quidquid ex praecepto divino, et quidquid ex praecepto ecclesiastico quisque fidelium agere teneatur. Hinc omnes Parochi et Cappellani rurales Dominicis diebus post primum Missae evangelium populum doceant de festis et de jejuniis, quae intra hebdomadam contingent (2).

---

(1) *V. Clar. Fagnani cap.* Conquestus *de feriis.*
(2) *Bened. XIV. de Sacr. Missae.*

19. In Epiphania Domini post primum Missae solemnis evangelium tum in Cathedrali Ecclesia et Collegiatis, tum in Ecclesiis Parochialibus publicentur festa mobilia. Ne quis vero de festorum violatione se per ignorantiam excuset; et, ut omnes magis ad divinum cultum excitentur, pridie quodlibet festum post meridianam et vespertinam salutationem Angelicam, nec non summo mane ejusdem festi omni aere campano dabitur signum.

20. Ex constitutione Urbani VIII. dies Patrono Principaliori Sacer in quolibet nostrae Dioecesis oppido sit festus, et maximo pietatis studio rite sancteque colatur.

21. Maxime vero fidelibus ab omni crimine diebus festis cavendum est (1), cum facinus peccati cujusque operis servilis turpitudinem et execrationem superet; nihilque magis, quam peccatum, a festorum sanctificatione, a debito cultu, a Deo ipso hominem removet — quia magis homo, ait Doctor Angelicus, impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale: ideo magis contra hoc praeceptum agit, qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit (2). — Audiat grex noster Benedictum XIV. qui dies festos non ad id constitutos esse clamat: — ut Christianus populus epu-

---

(1) Concil. Rom. can. Omnis Christianus — *de consec. dist. 1.* — *et canon.* Irreligiosa *de consec. dist. 3.*

(2) S. Thom. 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 3.

lis, ebrietatibus, ludis, aliisque id genus licentiis vacet; sed ut fideles in precibus divinisque laudibus frequentes, et assidui sint; ut intersint Ecclesiis; Sacramenta, ad animae vulnerum curationem istituta, adhibeant, seduloque se exerceant in iis operibus, quae veram pietatem continent; et, ut demum Sanctos, una cum Christo regnantes, tamquam Patronos congruis officiis et honoribus prosequantur (1) — Inter quos Bonaventuram, Sanctissimum Civem nostrum, cujus patrocinio Civitas haec nostra et Dioecesis laetatur, solemniori honore colendum curabimus, ut apud Christum Dominum Nostrum semper interpellet pro nobis; et ut illud avertat, quod Deus violatoribus festorum per Ezechiam minatur — Sabbata mea violaverunt vehementer: Dixi ego, ut effundam furorem meum super eos et consumem eos (2).

---

(1) *Bened. XIV. Const.* Nihil profecto §. *1.*
(2) *Ezech. cap. 20. v. 11.*

CAPUT II.

DE HORIS CANONICIS.

1. Cum Ecclesia Catholica nihil pulchrius, praeter Augustum Missae sacrificium, nihilque habeat melius, quam officium (1), quod a laudibus, quibus constat, ad Dei cultum institutis, divinum vocatur; hinc optimum sane et suavissimum est praeceptum, quo quidem ipsa, semper in suo colendo Sponso studiosissima, nonnullos ex filiis suis ad illud veluti quodam perpetuo alligat vinculo recitandum. Hoc autem officium Eadem Apostolorum exemplis, sanctisque veterum Patrum imbuta institutis, in septem dispertiit horas (2), quas quidem singulas suis, cuique tempori Mysterioque satis aptis, ditavit carminibus; et a sacrorum Canonum nomine, qui eas jusserant, Canonicas dici voluit.

2. At ipsa Sancta Mater Ecclesia ex hac horarum canonicarum recitatione triplicem sibi finem pulcherrimum proposuit assequendum; primum ut filii sui, qui militant in terris, eas aemularentur (3) laudes, quas Angelorum Chori cum aliis beatissi-

---

(1) V. S. Alphon. de Liguorio in libel. de recitatione off. Div.
(2) Euseb. Histor. Eccl. lib. 5. cap. 28.
(3) Vide S. Alphon. loc. cit.

mis filiis suis, qui triumphant in Coelis, sine fine Deo concinunt juxta illud:

Sed illa sedes coelitum (1)
Semper resultat laudibus;
Illi canentes jungimur
Almae Sionis Æmuli:

deinde, ut nonnulli ex filiis suis, sacra legatione fungentes, cum sint tamquam medii inter Deum et homines, sollicitam perpetuamque populi Christiani causam apud eum agerent, divinam averterent indignationem, Deumque benignum atque ad omnia largienda bona facilem redderent; postremo ut quotidianus psalmorum hymnorumque cantus sacros Ministros, propius adhaerentes Deo, ejus etiam efficeret familiares.

3. Ut vero hic tam salutaris et tam utilis Ecclesiae finis et haec praeceptio in irritum non cadat; haec pauca de horis canonicis rite recitandis in eorum, quibus divinum officium persolvendum est, animos reducimus.

4. De privata tantum horarum canonicarum recitatione hic locuturi, hoc jam lege cautum esse edicimus, ut aut ii, qui in sacris (2) sunt ordinibus constituti, aut ii, qui ecclesiasticis sunt aucti (3) beneficiis, horas canonicas quotidie recita-

---

(1) Offic. Dedic. Eccl. in Hym. ad Laudes.

(2) Ex variis testibus juris — Ex Concilio Basileensi, et ex antiq. consuet.

(3) Ex Concil. Later. sub Leone X. — Ex Const. S. Pii V. Ex proximo.

re, et breviarium jam ex tridentini Concilii auctoritate, a S. Pio V. editum, et a Clemente VIII. atque ab Urbano VIII. recognitum in earum recitatione adhibere teneantur.

5. Cum Psalmodia Canonica Deo sit persolvenda totius Ecclesiae nomine, essent desertores causae propriae Clerici ii, qui parvi eam momenti facerent. Maxima sit itaque in divino officio persolvendo cura. Qui officii partem, habita ad totum officium ratione, notabilem omittit, nullo legitimo impedimento accedente, si non est ecclesiastico insignitus beneficio, fit reus lethalis culpae tantum; si vero ecclesiastico est auctus beneficio, non solum fit lethalis culpae reus, sed etiam ex concilio Lateranesi V. et ex constitutione S. Pii V. pro rata parte omissionis officii suos non facit beneficii fructus — Veruntamen (sunt verba Sancti Pontificis) (1) multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratae praedictae ratio sit habenda. Nos huic rei evidentius, atque expressius providere volentes, statuimus, ut qui horas omnes canonicas una vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii vel beneficiorum fructus qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui caeteras horas omnes, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat. —

(1) *S. Pius V. in const. de proximo.*

6. Si quis, uti Clericus, ex ecclesiastico beneficio pensionem obtinuit, ex Pio V. ad officium parvum B. M. Virginis per suas horas distributum quotidie recitare tenetur sub poena restitutionis fructuum pensionis ad ratam.

7. Divinum officium recitaturus, ab omni se strepitu secedere curet, nec ulla horis canonicis negotia permisceat; nec, dum psalmum habet in ore, ad res familiares aut jocosas manus admoveat. A voluntariis caveat mentis evagationibus; ac pro certo habeat, se minime vel toto officio, vel aliqua ipsius parte functum esse, si volens ineptis rapiatur cogitationibus. Meminerit etiam, attentionem et intentionem (1) habitualem in officio divino persolvendo non satis esse; nam frustra linguam fatigat, qui corde non orat, cum psallendum sit spiritu, psallendum mente. Ea intelligere curet, quae legit; mens sine fructu est, ubi sola lingua psallit et precatur (2). Qui sensus et mysteria aut detegere, aut intellectu consequi nequit, in Dominica aliqua cogitatione versetur: illuc, unde mens dilabitur, semper mente redeat; nec facile sinat, ut alii suam interturbent recitationem, nisi id necessitas, aut praesens charitas postulet.

8. Qui non legens, sed tantum memoriter divinum officium recitare consuescit, meminerit, hu-

---

(1) V. Petrum Scavini in sua Theol. Mor. de Horis Can.
(2) S. Aug. Epist. 109.

jusmodi recitationem non solum esse mentis evagationibus vel maxime obnoxiam, sed quam saepissime solecismis et innumeris defectibus scatentem. Ad rite igitur offerendum Deo sacrificium laudis omne conferat studium, omnemque diligentiam; et studiose (1) ac devote, non festinus aut praeceps perlegat verba Dei.

9. Rubricas praeterea et S. C. Rituum decreta saepius volutet manu: Kalendarium, auctoritate nostra editum non solum apud se habeat, sed nec illud quotidie legere fastidiat. In totius autem Dioecesis commoditatem decernimus, ut Kalendario nostro pro qualibet Ecclesia Parochiali addatur peculiaris ordo de officiis SS. Titularium, Patronorum, Dedicationis Templi, octavarum, ac festorum, quae transferri ibi necesse est.

10. Cum matutinum Missae non praemissum habeatur a rubrica inter defectus, et recitatio illa aptissima sit ad celebrandum Missae sacrificium dispositio, quemque Sacerdotum hortamur, ut matutinum cum Laudibus Missae celebrationi praemittat, nec consuetutidem rubricae oppositam sibi faciat, nec damnabili consuetudini indulgeat.

11. Videant, qui Psalmodiae canonicae obligatione tenentur, ut eam tempore ab Ecclesia statuto persolvant. Tempus pro vesperis recitandis est a meridie ad mediam noctem (2): Matutinum dici

---

(1) Concil. Later. sub Inn. III.
(2) V. P. Scavini in sua Theol. Mor. de horis canonicis.

potest etiam pridie sero cum sol proprior est ad occasum (1) quam ad meridiem: caeterae horae ab aurora ad meridiem recitandae sunt, quamvis nona, et juxta alios etiam sexta post meridiem dici poterunt. Haec quae fuerunt pro horis canonicis recitandis statuta, tempora serventur, oportet, nisi obstet rationabilis causa, quae potest esse concio vel paranda vel audienda, major devotio, periculum supervenientis occupationis, tempus aptius ad studium. Hanc autem S. Antonini regulam quisque prae oculis habeat. — Quando officium dici non potest propter occupationes; melius est praevenire quam tardare; quia praevenire est providentiae, tardare vero est negligentiae. — Quod in horis canonicis recitandis diximus de tempore, idem dicendum est de ordine in recitatione non invertendo, nisi adsint justae causae (2).

12. Si quis non levi morbo laboret; aut in quodam imminentis morbi periculo versetur si horas canonicas recitet; aut si quis recens a morbo non satis firmata valetudine sit, excusatur ab officii divini recitatione per id temporis juxta Medici virorumque prudentum judicium. Quisque autem secum ipse recogitet, Deum, qui renes scrutatur et corda, nec irrideri, nec decipi posse; unde caveat, ne omissio recitationis officii levissima innitatur causa.

---

(1) *Bened. XIV. Notificatione 24. S. Thom. quod l. 5. a. 28.*
(2) *V. Liguori opus. Mor. l. 4. n. 172.*

CAPUT III.

DE SACRIS JEJUNIIS.

—

1. Cum hominis vita super terram tentatio, et militia (1) sit, ubi in corde nostro, carne semper adversus spiritum (2) concupiscente, acerrimae instaurantur pugnae, captivantes nos in lege (3) peccati; hinc necesse est, ut ad justitiae coronam in tanta praeliorum varietate assenquendam validissimum quaeramus auxilium; quod vere tutissimum habemus non tantum in laboribus et vigiliis, sed in jejuniis multis: ita ut corpus assidua peragat afflictatione militiam; et spiritus voluntaria mereatur humilitate (4) victoriam. Jejunia igitur sint nobis tamquam castra, ubi a Daemonis incursu, atque oppugnatione satis firmum inveniemus perfugium; praesertim cum jejunium sit culpae mors (5), excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae et castitatis. Nam ipsum est, quod concupiscentias vincit, tentationes repellit, superbiam inclinat, iram mitigat, et omnes (6) bonae voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutrit.

(1) *Job. 7. v. 1.*
(2) *ad Galat. 5. v. 17.*
(3) *ad Rom. 7. v. 23.*
(4) *S. Aug. Ser. 157. de tempore.*
(5) *S. Ambr. in lib. de Elia et jejun. cap. 4.*
(6) *S. Leo. Serm. 14. de jejun. decimi mensis.*

2. En causam cur Sancta Mater Ecclesia, quae vult omnes fideles fieri fortes contra Diabolum milites, ac virtutibus praeditos in vitam aeternam, sacra jejunia constituit. Ne vero fiat causa ruinae, quod Ecclesia institutum posuit ad salutem, nonnulla de jejunio verba facienda statuimus, ut etiam populus nobis concreditus, quidquid de illo sancitum est, ea, qua par est, diligentia servandum curet.

3. Nobis primum dolendum vehementer est, quod his temporibus jejunii nomen vix audiri velit. Impii enim perditique homines tum in abstinentiam a carnibus feriis per singulas hebdomadas sextis, et sabbatis; tum in quatragesimae, aliorumque dierum jejunium venenato irruunt ore; et hac et illac in plebem Christianam nemini ab esu carnis abstinendum, nemini sacra jejunia colenda esse disseminant, cum Ecclesiae in molestis hujusmodi rebus nemo obtemperare teneatur. At si jejunium est res bona, et ad bonos conducens exitus, non liquet profecto, cur illud praecipere non possit Ecclesia; praesertim cum, Deus ipse jejunium in veteri lege praescripserit; exemplo autem suo in nova sanctificaverit et commendaverit Christus (1). Ecclesia vero semper ea, quam a Patribus omnibusque fidelibus probatam fuisse novimus, usa fuit, ut jam Synagoga, potestate. Nesciuntne

(1) V. Scavini Theol. Mor. cap. 2. de jejun.

hi Luterani novi, novique Calvinistae, jejunium etiam cadere, ut ait S. Thomas (1) sub praecepto Legis naturae, cum illud inserviat hominum bono? Hinc videant, an praecipiendi Jejunii auctoritate gaudeat Sancta Mater Ecclesia, cui quivis fidelis statim oportet obtemperetur, cum scriptum sit — si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus (2); — nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem (3) — Ex his meridiana patet luce, cuique fidelium Matris Ecclesiae Legibus, ac proinde Ecclesiastico huic abstinentiae jejuniique praecepto esse quidem obtemperandum.

4. Ecclesiastici jejunii, de quo loquimur, indoles et natura in unica posita comestura est, quae circa meridiem habetur, nec non in abstinentia a carnibus, et a dapibus, quae sementinam carnis trahunt originem (4), quae etiam lacticinia vocantur. Coenula vero, seu refectiuncula vespertina, quamvis pristinae disciplinae contraria sit, toleratur tamen, Ecclesia non reclamante. Sed quisque caveat, ne pientissimae Matris indulgentia abutatur. Si praeterea jejunii institutio io spectat, ut fideles carni subtrahant voluptatem ad acquirendum animi robur; satis patet, delicatiorum etiam da-

---

(1) S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 3.
(2) Matth. 18. 17.
(3) S. August. de Symb. cap. 13.
(4) Ita Canon. de jejun.

pum usum in jejunio non satis bene cum praecipuo illo congruere fine, quem sibi in eo praecipiendo proposuit Ecclesia, dum veteres Christiani ne vino (1) quidem utebantur in jejuniis.

5. Jejunandi praeceptum partim est negativum, et hoc respicit abstinentiam et gravi obligatione obstringit omnes post septemnium, ubi primum sunt rationis compotes: partim est positivum, et respicit unicam in die comesturam. Omnes quidem, qui vigesimum primum aetatis annum expleverint, utrumque sub gravi servari tenentur.

6. Summo quidem studio curandum est, ut omnia, quae ab Ecclesia sunt per annum instituta, jejunia omni diligentia laetantique animo serventur. Quapropter Concionatores, Parochi, et Confessarii, Christifideles edoceant, cur Ecclesia praecipiat in quadragesima aliisque temporibus servari jejunium. Nam res satis aperta ac cognita est, hoc quadragesimae jejunio, ab Ecclesia simul omnes filios suos ad poenitentiam vocari, ut et carnis afflictatione et castigatione fideles, quae peccata totius anni curriculo patrarunt, expient; et ut, Jesu Christi jejunium imitantes, magis parati tum ad sacrum Pascha celebrandum, tum ad Eucharistiam eo tempore sumendam inveniantur. Jejunium vero quatuor temporum eo spectat, ut fideles, Deum

---

(1) Tert. lib. adv. Physicos — S. Bas. serm. 1. de jejun. — S. Hier. in dan. cap. 4. — Theophilus Alexan. in Epist. Pascali ad diver. Ecc. Aegypthi.

ad terrae fruges largius impertiendas magis sibi propitient, et de collectis gratias agant, atque ut auxilium coeleste super ordinantem, et super eos, qui pro populi utilitate ordinantur, advocent atque implorent. Cum autem praecipuas per annum solemnitates, diemque D. N. J. C. natalitium peculiari quidem veneratione coli, celebrarique oporteat; hinc ad fideles a vitiis magis expiandos, magisque iis dignos solemnibus reddendos Sancta Mater Ecclesia in singulis sextis feriis et sabatis adventus (1), majorumque solemnitatum pervigiliis jejunium decrevit.

7. Ut quivis fidelium, praesertim rudes pulcherrimis his Ecclesiae votis prorsus respondeant, explicent Parochi et Confessarii, in quo sita est summa et finis jejunii. Hinc non solum de unica in die comestura, de vespertina pertenui coenula, et de abstinentia a carnibus, lacte, caseo, ovis, et similibus, et de non miscendis simul in comestura circa meridiem habenda carnibus, et piscibus, clare loquantur; sed etiam ad veram pietatem, ad expianda peccata, ad Eucharistiam in iis solemnibus sumendam studioso animo fideles excitent.

8. Parochi etiam die Dominico, post quam sermonem de Evangelio inter Missarum solemnia habuerint, praemoneant populum de die jejunii in ea Hebdomada recurrentis. In hora prima noctis,

---

(1) Pius VI. costit.

die, quae jejunium praecedit, ad populum certiorem de jejunio faciendum, detur aere campano signum. Ante mediam vero noctem quae feriam IV. cinerum praecedit a Cathedrali, Collegiatis, ac parochialibus Ecclesiis de more hujusmodi signum ad horam integram producatur. Si quis ultra protrahet esum carnium, aut in tabernis, aut in privatis domibus, poenis in Edicto jam statutis plectetur.

9. Etsi omnes urgeat jejunandi praeceptum, tamen Ecclesia, cum pia mater, et benigna sit, filiorum suorum infirmitatum miseretur; et dum ipsa iis jejunium imperat, quibus suppetere vires possunt, a jejunandi lege eos solvit, quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut (1) necessitas arctat. Sed cum quisque in ferendo de se judicio facile quidem decipi possit; hinc consulendi sunt confessarii, parochi, pii prudentesque viri, et praesertim Medici, utrum ea, in qua aliquis est, conditio sit ejusmodi, ut se a jejunio, aut partim, aut ex toto liberare tuta coscientia possit.

10. At in eos, qui tam facile sibi blandiuntur ac temere sese eximunt a jejunii lege, quadragesimae praesertim tempore, Benedictus XIV. graviter inclamat — nemini prorsus licitum esse, sine legitima causa, et sine utriusque medici consilio dispensationem a quadragesimali jejunio sibi

---

(1) S. C. C. de obser. Jejun. — Concil. Tolet. cap. 9. §. 8.

audacter, fidenterque usurpare. — Re quidem vera ipsi, qui paucis ante diebus, integro firmi corpore, incolumique gaudentes valitudine, personatos choros circumducere, ac bachanalibus ethnicorum more indulgere laetabantur; mutata de repente tum animi, tum corporis vice, se morbo affligtari fatentur; languorem, viriumque infirmitatem mentiuntur in id, ut a jejunii praecepto solvantur. Videant medici, ne facilem praebeant aurem eorum mendaciis, qui ad excusandas excusationes in peccatis, adjutorem socium in projicendo a se jugo Christi quaerunt. At si quem medicus revera inveniat adversa valitudine laborantem; det testimonium, quod erit a Parocho recognoscendum, ubi legitimam interesse causam dispensationis profiteatur. Haec medici testificatio a Parocho subscripta, Vicario nostro Generali in Civitate, Vicariis foraneis in Dioecesi exhibenda est, ut impetretur dispensatio, quam semper in scriptis dandam esse decernimus. Caveant praeterea medici, ne officiosa quadam conniventia, nimiaque facilitate dent hujusmodi testimonium; nec dum ipsi prospiciunt corporis incolumitati, animarum salutem temere obliviscantur: periculo enim animae suae sic agerent; et peccatis sese gravarent alienis. Videant etiam, ne iis, quibus lacticinia sufficiunt, carnis esum permittant.

11. Sive autem privata causa, sive apostolica dispensatio accedat, ut cuique, aut omnibus facta sit facultas carnibus vescendi; sciendum est, in

unica tantum comestura (1) uti carnibus permitti, nec dominicis etiam (2) diebus licere piscibus simul et carnibus vesci. Cum vero lacticiniis uti permittitur, haec simul cum piscibus edi fas est (3). Potio autem lacte (4) commixta extra unicam comesturam interdicitur. Quisque vitet pro condimento uti jure ex carnibus, quod vetitum est. Ovorum etiam albumen, veteri abusione rejecta, inter lacticinia recensetur.

12. Carnes praepterea aegrotantium usui vendendae, nec sint in viis, nec in aliis propatulis expositae locis; sed eas Lanii privatim in id tantum servent, ut iis, qui licentiam in scriptis ostenderint, vendere quidem possint: quod idem de avibus, aliisque id genus intelligendum est. Caupones, et cupedinarios monitos volumus, ut a cibis vetitis cuiquam apponendis, aut domi coquendis, aut comedendis caveant omnino, ne simul cum emptoribus, poenis pro modulo culpae irrogandis, puniantur. Iis vero, qui ab abstinentiae lege solvuntur, valitudinis causa agenda est, non voluptati indulgendum; et peccata sua aliis pietatis operibus expientur necesse est: quinimo — ipsi sanandis vulneribus (5), quibus humana infirmitas

---

(1) *Cap.* deni que Sacerdotes *dist.* 4. — *Bened. XIV. const.* si Fraternitas *et const.* non ambigimus.

(2) *Bened. XIV. const.* si Fraternitas.

(3) *loc. cit.*

(4) *loc. cit.* — *Clem. XIII.* Appetente.

(5) *Bened. XIV. const.* non ambigimus.

sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de humano pulvere contractas, dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynae munera rediмant. —

13. Sed necesse omnino est, ut jejunium spirituale et morale sanctificet jejunia nostra. Magnum enim, perfectumque jejunium est, abstinere (1) ab iniquitatibus, et illicitis voluptatibus saeculi. Si intumescimus superbia, si lividi sumus invidia, si jejunamus ad lites, et contentiones; nihil proderit extenuari abstinentia corpus: nulla erit merces de pallore jejunii nostri. Frangat unusquisque esurienti panem suum (2), nudos operiat, ab omni inquinamento carnis festinet emundare conscientiam suam; opera tenebrarum abjiciat; induat arma lucis. Hoc est sane jejunium, quod (3) elegit Deus. Si peragamus ita jejunia nostra, nobis haec erunt in gaudium sempiternum. Altius haereat in omnium animis haec sententia Hieronymi — Primus homo ventri magis obediens quam Deo, de Paradiso in hanc lacrymarum dejectus est vallem: ex quo sollicite providendum est, ut quos saturitas de Paradiso expulit, reducat esuries (4). —

---

(1) S. Aug. relat. in can. Jejun. 25. de jejun. consecr. dist. 5.
(2) Isaia 58. v. 7.
(3) Isaia 58. v. 6.
(4) S. Hierony. Epist. 22.

CAPUT IV.

DE DILECTIONE PROXIMORUM ET OBEDIENTIA.

—

1. Deus, qui Charitas est, et omnia charitate operatur, hominem in ipsa creatione ita comparavit, ut in ejus spiritu mirabilem tum acris intelligentiae, tum diffusilis amoris vim et virtutem inseruerit. Cum autem hujusmodi amoris flamma primi hominis culpa et posterorum malitia in omnium animis pene extincta defecisset; ad eam iterum excitandam de Coelo misit Deus filium suum Unigenitum, Jesum Christum, qui sanctissimum illum ignem in omnium cordibus mirum in modum accendere curavit, divina doctrina, mirabili exemplo, novo praecepto et gratia. Quare Christus ex hoc mundo discessurus, discipulos his alloquitur verbis amoris — Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. — In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem (1) habueritis ad invicem. —

2. Christianae praeterea charitatis est, caeteras non modo pulchriores, sed etiam utiliores reddere virtutes, quae sine charitate nihil prodesse (2) possunt. Ipsa enim est vinculum (3) perfectionis, man-

---

(1) Joan. 13. 34.
(2) 1. Cor. 13. 3.
(3) ad Coloss. 3. 14.

datum (1) maximum. Hinc ea, quae debet Characterem, ingeniumque constituere Christianorum, non est Charitas illa, quae dicitur Philantropica, vana et imperfecta, a Deo sejuncta, et quaerens quae sua sunt, inconstans et partium studiosa, ac solum bonum tribuens temporale: sed illà Charitas est, quam docuit Christus, quae ad Deum refertur, gratuita, universalis, non ambitiosa, divina gratia fortior effecta. Hujusmodi Charitas, dum se superbiae, arrogantiae, inobedientiae, atque Egoismo inimicam esse profitetur, tanta pollet virtute, ut homines vertat in benevolos, in mansuetos, in unanimes, in amicos, in humiles, atque in cuicumque auctoritati subditos, ac obtemperantes ex animo: et dum poscit, ut bona temporalia, ad egenos miserosque juvandos, atque ad Dei cultum impendantur, facit inveniri aeterna, et misericordiam apud Dominum.

3. Cum autem nos Dei simus (2) adjutores; et secundum gratiam, quae data est nobis, dominici gregis partem pascere studeamus; ne muneri videamur deesse nostro, haec quae sequuntur, de proximorum dilectione et de obedientia servanda statuimus.

4. Populi nobis concrediti, Christi vestigia et mandata sequentes, sint in omnibus unanimes (3),

---

(1) Mar. 22. 31.
(2) Cor. 3. 9.
(3) 1. Petri 3. 8.

compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles. Qui enim non diligit, non (1) novit Deum. Cum omnibus pacem habere, indigentibus stipem, opemque miseris ferre, nec judicare fratrem, nec ulli detrahere, nec pro malo malum reddere, omnibus cordi sit. Fraternam vero correctionem, ex qua majorem Charitas ducit pulchritudinem, unde, qui errat, ab errore revocatur, et qui irretitur vitiis, ad bonam frugem expeditus revertitur, omnibus commendamus vel maxime.

5. Meminerint etiam omnes, eam, quam docuit Christus, Charitatem amplitudine tanta esse, ut a dilectione sua prohibeat neminem. Unde inimicos ipsos, qui et homines, et filii, et fratres Christi sunt, non modo non contemnendos, verum etiam adamandos esse, lex jubet evangelica — Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. —

6. Quam saepissime igitur Parochi et Sacerdotes ministerio verbi Dei populos doceant, quid sibi vult Christiana Charitas, quid suadeat, quid praecipiat, ut in omnibus sese studiosissimos ejus cultores exhibeant. In id etiam plurimum incumbant, ut viri cum uxoribus, parentes cum filiis, fratres cum fratribus et sororibus arctiori dilectionis vinculo inter se devincti sint, et perseverent; atque tanta sese diligant charitate, ut alter alte-

---

(1) 1. Joan. 4. 8.

rius indolem, ingenium, mores patienti animo perferat: absint contentiones, absint dira verba; absint scandala: sed fraterne sese agant, et mutuo semper animo sese juvent.

7. Fideles etiam vehementer hortentur Sacerdotes et praesertim Parochi, ut iis, quae plurima sunt in Dioecesi nostra, charitatis sodalitiis sua dent nomina. In hoc quoque plurimum elaborandum est, ut a paroecia publicae illae, quae proximorum laedunt famam, procul absint detractiones: nec non, si quam in aliorum perniciem machinationem, si quas inimicitias et dissentiones, si quae scandala deprehenderit Parochus, praesto sit, ut penitus eliminentur.

8. Si Christiana Charitas est hujusmodi, ut omnes amplectatur homines; cum autem inter eos nonnulli fuerint a Domino constituti, ut aliis praesint; hinc sane, ordine superioritatis, praecipua diligendi charitate sunt Superiores, veluti vicarii et ministri (1) Dei in bonum, qui pervigilant quasi rationem pro animabus reddituri. Fit quidem, ut ex hac praecipua peculiarique dilectione exoriatur honor, reverentia, subjectio, et obedientia illis debita non propter se, sed propter Deum: subditi igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, (2) sive Regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis: quia sic est volun-

---

(1) ad Rom. 13. 14.
(2) 1. Petr. c. 2. v. 13. 14. 15. 17.

tas Dei: omnes honorate. Obedite (1) praepositis vestris, et subjacete eis.

9. Cum praeterea hoc tam acclini pronoque tumultibus tempore, Egoismus, insanientis libertatis ardor, immanis animorum electio, inita inter se seditionum societate, undique dominatum sibi vindicare conentur; legumque fraenum abrumpere, et regnantium jugum, licet leve et suave, abjicere diu noctuque conspirent; necesse est, ut Parochi, confessarii, omnesque viri boni et prudentes tantam Ecclesiae Catholicae, civilique Societati infensam periculosamque tempestatem ea, qua poterunt, ratione avertere satagant. Hinc enim in quamvis auctoritatem oppositio et despectus; hinc conjurationes, inobedientiae, proditiones, tumultus, rerumque publicarum eversiones exoriri solent.

10. Quamvis hujusmodi pestes, atque perniciosissimi effectus Dioecesim nostram adhuc nec laedant, nec vitient; tamen Parochi, et Sacerdotes omnes quid de civili auctoritate S. Paulus sentiat, fideles doceant vel diligentissime. Hortentur autem omnes, ut non modo suis subjectionem Praepositis habeant, sed etiam honorem, reverentiam, obsequium, obedientiam exhibeant. Praecipua denique Parochorum cura sit, ut Parentibus filii, Institutoribus juvenes, Populi civili auctoritati, fi-

---

(1) ad Haebr. 13. 10.

deles omnes Presbyteris, Episcopis, ac praesertim summo, cui divina potestas est, Pontifici sese subjiciant ex animo.

CAPUT V.

DE ECCLESIARUM DECORE, VENERATIONE, IMMUNITATE AC DE ORATORIIS.

—

1. Sapientissimus rerum omnium opifex, ac Dominator Dominus; cujus infinita majestas posuit Coelum sedem sibi, et Terram scabellum (1) pedum suorum; etsi nullo circumscribitur loco, rerumque universitas sit templum Ejus: tamen quaedam in terris elegit, et sanctificavit loca, in quibus esset nomen suum in sempiternum, et habitaret (2) in eis. Cujus quidem Bonitas in hoc etiam elucet, ut ponat, delicias suas esse cum filiis hominum, et misericordiam impertiri gestiat in medio (3) templi sui; cum hujusmodi loca sibi ipse constituerit in Domus orationis, sacrificii, realisque praesentiae suae in Eucharistico Sacramento, ubi sese, veluti pignus aeternae salutis ac gloriae, in escam fidelibus praebet.

2. Ex his profecto colligitur, metuendum vere terribilem, et sanctum esse locum, qui Domus Dei et porta Coeli est; quem Angelorum chori celebrant, quem Christus ipse sua quoque Sacramen-

---

(1) Isaiae 66. v. 1. — Act. 7. v. 49.
(2) Deuteron. 12, v. 5.
(3) Psalm. 47. v. 10.

tali praesentia (1) sanctificat. Has igitur Dei sedes maxima decet sanctitudo, maximusque nitor, et ad eas magno cum timore et tremore, omnique reverentia accedendum est; quoniam ultio Domini est ultio (2) templi sui. Ut autem ea, qua par est, dignitate cultus peragatur; et ne ponantur offendicula in Domo Dei, haec decernenda existimamus.

3. Opus quidem est eximiae pietatis, nimisque laudandum, templorum constructio. Verum ne quid temere in re tanti momenti agatur, nemini ea sit libertas, ut novas sine Episcopi (3) assensu non solum Ecclesias, sed etiam sacella, oratoria, atque altaria aedificet atque erigat. Numquam autem ejusmodi dabimus facultatem, nisi typus novae Ecclesiae nobis exhibeatur approbandus, nisi integra maneant veterum Ecclesiarum jura, omnisque ab illa absit profana (4) servitus, et nisi dos (5) constituatur idonea, aut saltem satis firma praebeatur cautio. Squallent enim sine reditibus sacrae aedes, magno cum Religionis dedecore.

---

(1) S. Bernardinus.

(2) Jerem. 51. v. 11.

(3) Can. Nemo Ecclesiam de Consecr. dist. 1. — Fagnan. in Can. Auctoritate N. 12. de Conse. — S. C. C. in Lucana 17. Septemb. 1722. — S. C. E. in Veronen. 1635. — in Pisaur. 1662. — in Lusit. 1652.

(4) Apud. Gavant. V. Ecclesiam n. 27.

(5) Can. Nemo cit. — Concil. Brachar. III. can. 5. cap. 1. — cap. 9. de Consecr. dist. I. cap. 8. de Consecr. Eccl. — Concil. Tolet. III. — can. 15. cap. de Monachis, de praebend. ut Novell. 87. cap. 2.

4. Primum sacrum in fundamentis lapidem, vel per nos, vel per Sacerdotem legatum ponendam curabimus. Sit Crux in frontis vertice; sit Ecclesiis sacrarium; sit prope valvas purum aquae lustralis (1), semel in hebdomada renovandae, vas marmoreum vel lapideum; sit sacra pro tintinnabulis ponendis turris, cujus in vertice Crux assurgat: aera campana sint ab Episcopo rite consecrata. Nemo in Ecclesiis facere sacrum audeat, nisi prius ab Episcopo (2) consecrentur, aut saltem a delegato Sacerdote (3) benedicantur. Si Ecclesia solemni consecrata sit ritu, ejus consecrationis dies peragatur quotannis cum laetitia, et sacrificio laudis. (4)

5. Collabentes ab iis, ad quos attinet, reparentur Ecclesiae; quae si ulla nequeant refici ratione, ad nos res deferatur. Si vero fatiscens Ecclesia destruatur; locus, ubi illa fuit, sacer esto: crucemque illic ponendam (5) mandamus, cujus autem tigna, et rudera in construendis tantum (6) Ecclesiis adhibeantur. Praeterea Ecclesiae, et Sacella, quae sub jure patronatus sunt, sine nostra in scriptis venia non destruantur.

---

(1) Can. Aquam. de Consec. dist. 1.
(2) Can. Nullus de Consecr. dist. 1.
(3) Rit. Rom. Tit. Bened. Nov. Ecclesiae.
(4) 1. Machab. 4. v. 56. 59. — Can. Solemnitates 16. de Consecr. dist. 1.
(5) Concil. Trid. sess. 21. de Refor. cap. 7.
(6) Can. Ligna de cons. dist. 1.

6. Quod alienum est a sanctitate loci, id removeatur ab Ecclesia, quam profecto (1) implet Majestas Domini. Hinc non superimponantur Ecclesiis ambulacra, dormitoria cubicula, (2) porticus, et quaevis alia profana habitatio. Ex contigua Domo, quae parochialis, aut regularis non sit, non pateant aditus ad Ecclesiam, (3) nec fenestrae sine Sedis Apostolicae facultate. Insuper in Ecclesiarum areis fruges terat nemo; nec templis ruralibus quisquam tamquam horreis utatur. Si quis in haec peccaverit, non solum fruges aliasque res illic depositas in poenam amittet, sed ipsos etiam profanatores gravioribus aliis plectemus poenis.

7. Diligendus est vel maxime decor Domus Dei, et locus habitationis gloriae (4) suae. Religiosa quidem aemulatione contendere debemus, ut Ecclesiae ubi vere Dominus Christus adest nobis, splendidissimae assurgant, et, saltem mundae nitidaeque maneant. Caveant Ecclesiarum curatores, ne quod sit vitium in parietibus, in pavimentis, in fenestris; ne quid sit sordidum in Altaribus, in rebus mobilibus, in sacris vestibus atque vasis.

---

(1) 2. Paralip. 7. v. 1. 2.

(2) S. C Epis. in Melphiten. 2. Octob. 1626. — in Neapol. 13. April. 1646. — in Hortanen. 11. Jun. 1655. — S. Carolus Borromaes Concil. Mediol. IV.

(3) Clement. I. de senten. Excomm. — S. C. Ep. in Veronen. 15. Jul. 1635. — in Alexan. 15. Novemb. 1659. — in Pisauren. 3. Octob. 1692.

(4) Psalm. 25. v. 8.

Mundent igitur ipsi Domum Dei; omnemque auferant immunditiem de Sanctuario, ne concitatus (1) furor Domini trahat eos in commotionem et in interitum atque in sibilum. Praeterea, si quae Ecclesiae vel si quae Sacella et Altaria patronos habeant, nec ad necessaria comparanda reditus suppetant, vehementer moneantur Patroni. Si autem ipsi necessaría praebere renuant, illa aut aliis tradenda sunt Patronis, (2) vel destruenda. Insuper Ecclesiarum januae sint valvis instructae, clavibusque munitae; quae saltem media noctis hora claudantur (3).

8. Altaria sint ex integro vel marmorea, vel lapidea, vel lateritia, ac consecrato per Episcopum munita lapide: nullas, nisi pro asservandis Sanctorum Reliquiis, cellulas habeant; et nisi fornix immineat, peristromate seu Baldachino a laquearibus pendulo desuper operiantur. Non desit Crux inter sex, vel saltem quatuor candelabra cum non nimis parva, sed satis conspicienda, (4) Christi Domini ab ea pendentis imagine: nec desint tres tabellae, quarum una in medio altari referat — Gloria, Credo aliasque secretas Orationes — quarum duae, hinc et hinc, referant psalmum lavabo, atque initium Evangelii S. Joannis. Frontes Altarium haud careant opere depicto, vel pallio:

---

(1) 2. Paralip. 29. v. 5. 8.
(2) S. C. Epis. in Modinen. 1604. — Synod. nost Elisei.
(3) Clement. XI. Encyc. 26. Jul. 1701.
(4) Bened. XIV. Constit. Accepimus 1746.

supra mensam sit tum tela cerata, quae sacrum lapidem contegat; tum tres lineae mappae, tum denique stragulum pro mensa operienda, et Agnosterium pro Missali. Nec deesse integrum mundumque volumus suppedaneum. De Imaginibus ac statuis, de vestibus vasisque sacris jam diximus in titulis de Reliquiis Sanctorum, de Sacramentis in genere, et de Missae sacrificio.

9. In quovis sacrario pro vestibus aliisque rebus sacris asservandis sit Armarium, cujus in vertice Crucifixi surgat imago. Sit etiam scabellum et tabella precum pro Sacerdote celebraturo, et pro gratiarum, post sacrum factum, actione. Nec desit Kalendarium, vas aquae lustralis, et lavacrum cum linteolo.

10. Si Musice eos cantus sonosque profanos misceat, qui nec rei sacrae, nec rituum, locique sanctitatem decent, ab Ecclesiis (1) arceatur. Organa vero, aliaque instrumenta musica adventus et quatragesimae tempore sacro interdicuntur ritu.

11. Caveant laici sub poena non levi irroganda, ne Presbyterium, cum sacra celebrantur Mysteria, (2) ingredi praesumant; nec in Sacrariis versentur; quae loca Clericorum propria esse debent. Confessionalibus non assideant; nec tam pro-

---

(1) Concil. Trid. sess. 22. decr. de Observ. et evitand. in celebrat. Missae.

(2) Can. Sacerdotum de Consecr. dist. 2. — cap. ut Laici 1. de vita et honest. Cleric.

pe altaria sint, nec illis innitantur; nec super ea reclinent aliquid; nec suppedaneum ascendant.

12. Templum Dei sanctum est, illudque decet (1) sanctitudo. Summa igitur pietate ad Ecclesiam conveniamus. Dum Angeli trementes adorant Dominum in atrio sancto ejus; (2) caveamus, nos homines infirmos in domo sua facere (3) scelera. Mares sint in Ecclesiis detecto, velato autem foeminae capite propter Angelos. Non avertant facies suas a Tabernaculo Domini, (4) nec dorsum praebeant. Nemo hac et illac deambulet; nemo clamores excitet, risus concitet, misceat sermones; aut quidquam pertractet negotii. Nemo, dum divina peraguntur Mysteria, prope Ecclesiae januas consistat, ut tum ingredientes, tum discedentes Mulieres verbis nutibusque molestet, aliisque dicteriis afficiat. Qui in haec peccaverit, in eum severe animadvertemus.

13. Mulieres presbyterium adire non praesumant, nec prope cujusque Altaris gradum (5) consistant. Habeant ipsae distincta in Ecclesiis loca ita, ut viri cum (6) viris, foeminae cum foeminis maneant. Hunc enim veterum Christianorum mo-

---

(1) *Psalm. 92. v. 5.*
(2) *Psalm. 28. v. 2.*
(3) *Jerem. 11. v. 15.*
(4) *2. Paralip. 29. v. 6. — Jerem. 2. v. 27.*
(5) *Can. Praevenit. de Consec. dist. 2.*
(6) *S. Cyrill. Hierosolym. In praefat. Catech.*

rem ab Ecclesia vel maxime probatum (1) invenimus. Quaevis mulier caveat, ne sessibolum, vel scamnum sine Vicarii generalis, vel foranei in scriptis venia, ad templum deferat. Praeterea Parochi, sacrique concionatores Populum moneant, quot quantasque poenas Ecclesiarum profanatoribus minetur Dominus ac irroget. Tonent medio in templo contra eas inverecundae frontis mulieres, (2) quae inhonesto induuntur more, ut viris fiant offendiculum, ac perditionis occasio. Vae hujusmodi mulieribus, quae tum amoribus improbis, tum colloquiis, impudentique obtutu abominationes pessimas seminant in Domo Domini! Si qua in Dioecesi nostra mulier sit, quae tanta templum contumelia afficere non vereatur, Parochi ejus nomen ad nos deferant, ut tam effraenem coerceamus licentiam.

14. Eam, quam Ecclesiis deberi diximus, venerationem servandam jubemus etiam in Sacrario, quod est una ex praecipuis templi pars. Ne quis ibi tecto versetur capite; ne quis circulum ad vanis otiandum colloquiis conficiat; ne quis garriat vel mussitet, ita ut Sacerdotibus orantibus molestiam ingerat. Mulieres autem, nisi necessitas postulet, ad sacrarium non accedant, nec adducantur. In-

---

(1) S. Cyrill. ibidem — S. Joan. Chrys. Homil. 74. in Matth. — S. Hieronym. Descript. Eccl. in Philon. — S. Ambr. de Virgin. laps.

(2) Editto sulla venerazione delle Chiese.

vigilet vel maxime Canonicus Sacrista, ut mandata haec nostra serventur quam diligentissime.

15. Cum Ecclesia sit domus orationis, locusque Angelorum, eam decet silentium et tranquillitas maxima. Hinc ab Ecclesiis procul sint clamorosae tabernae, ac officinae, nec non equilia, aliaque id genus stabula, et immunda aedificia. Nec prope Ecclesias fiant ludi, strepitus, sonitus; nec clamorosi habeantur conventus; quae omnia vetita esse quisque sciat sub poena pro modulo culpae irroganda.

16. Ecclesiis aliisque piis locis integra sit Ecclesiastica Immunitas, ac inviolatum juxta Canonum normam et Pontificum constitutiones (1), jus Asyli. Qui autem opere vel consilio locum immunitate, Asylique jure gaudentem violaverint, statim anathemate feriuntur summo Pontifici reservato.

17. Ne perditis ac facinorosis hominibus Ecclesia id perfugii praeberet, ut audaciores ad perpetranda crimina fierent, quorumdam graviorum criminum reos asyli beneficio privare (2) statutum est. Hi sunt publici grassatores, agrorumque de-

---

(1) *Cap. Iter alias de Imm. — Greg. XIV. Const. cum Alias 1591. — Bened. XIII. Const. Ex quo. 1725. — Clem. XII. Const. In Eupramo. 1735. — Bened. XIV. Const. Officii nostri 1750.*

(2) *Vide Constitutiones commemoratas et Bened. XIV. Inst. Eccl. 41. §. 3. — ac Girald. Exp. Jur. Pontif. p. 1. lib. 3. sectio 639. — Vedi il regolamento Organico di procedura Criminale per norma delle Curie Ecclesiastiche 5. Novemb. 1831.*

populatores, aliique omnes, qui proditorie vel animo praemeditato, ac deliberato etiam in rixa homicidium commiserunt; dummodo non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem; item qui in locis sacris impunitatis spe deliquerunt, atque etiam rei de laesa majestate, de falsis corruptisque Apostolicis litteris, vel peculatu, vel pecunia publica damnati; tum qui mentito Curiae nomine in alienas domos se introducunt, easque compilant; qui conflant, adulterant, tondent quascumque monetas aureas, argenteas etiam exterorum principum, quotiescumque in loco aut provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum et commercium, vel monetas ipsas ita expendere, et erogare praesumant, ut fraudis conscii atque participes censeri possint; demum haeretici, et ob Haeresis crimen in jus vocati, atque Judaei, qui a Christiana Religione, (1) quam susceperunt, desciscant. Verum hujusmodi rei ab asylo removendi temere non sunt: sed tunc removeantur (2) coram viro Ecclesiastico, cum Judex Ecclesiasticus decreverit, eos crimina perpetrasse, quibus asyli jus amiserint.

18. Quidquid vero de Urbanis Ecclesiis constituendum duximus, id omne de Ecclesiis ruralibus decernemus et de Oratoriis publicis, quae sunt

---

(1) Joann. XXII. Const. 1. edit. in Bull.
(2) Bened. XIII. Const. Ex quo.

templa ea, quorum accessus patet confluentibus e publica via.

19. Ad Oratoria privata quod attinet; has sacra Concilii (1) Congregatio leges constituit. 1. Ut Sacellum sit loco a cubiculis et aliis domesticis usibus amoto; atque altare parieti adhaereat. 2. Ut vel ab Episcopo, vel ab alio, cui vices ipse suas delegaverit, visitetur, attenteque inspiciatur, num decens sit atque compositum; et num aliqua eorum, quae necessaria sunt, desint. 3. Ut Episcopus ipse licentiam celebrandi Missam impertiatur, ad ejus rationabile arbitrium perduraturam. 4. Ut non plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur a Sacerdote vel saeculari, vel regulari; dummodo saecularis ab Episcopo sit approbatus, regularis autem licentiam habeat a suo regulari superiore. 5. Ne celebrari possit Missa solemnibus diebus Paschatis Resurectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus diebus, inter quos enumerandi sunt dies Epiphaniae, et Ascensionis Domini, Annuntiationis et Assunctionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, nec non Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Titularis Ecclesiae loci. 6. Ut exprimantur personae, quarum praesentia necessaria est, ut Missa in privato Oratorio

---

(1) Jubente Paul. V. 1605. — Bened. XIV. de Sacrif. Missae sectio 1. §. 42. — Idem Pontifex. Epist. Encyc. ad Epis. Regni Poloniae.

celebrari possit; aliae item personae, quae si eodem tempore Missae intersint, ecclesiastico praecepto possint satisfacere. 7. Tandem ut declaretur, omnia sine Parochialium jurium praejudicio fieri debere.

20. Eas denique, quas Apostolicae litterae jubent, conditiones diligenter osservandas esse mandamus omnibus, qui sunt indultum Oratorii privati consequuti. Praeterea hujusmodi oratoria, eo, quo decet, religioso cultu, ac nitore custodienda sunt; ubi sit munda, nec obsoleta sacra supellex. Visitatio, et approbatio nostra necessaria est, ut in novo Oratorio privato divina res agi possit.

21. Qui in privato oratorio celebraturus accedit; ipse quaerat tum de clausulis, quae indultum pontificium respiciunt; tum an, ab Indulto concessa, Missae celebratio (1) sit eo die jam peracta. Quod si ex pontificio indulto in privatis oratoriis sacrum peragi possit die Nativitatis Domini; tres quidem Missas illic celebret Sacerdos (2).

---

(1) Decretum Clem. XI. 14. Decemb. 1703.
(2) S. C. C. in dub. orat priv. 20. Jan. 1725.

CAPUT VI.

DE SACRIS RELIQUIIS ET IMAGINIBUS.

—

1. Sanctorum cum Christo regnantium Reliquias, tamquam sacra pignora, primitus, omnique ab aevo, peculiari fuisse honore a Christianis cultas, tum religiosum primorum fidelium in illis colligendis studium, ac monumenta sub Confessionum nomine super Martyrum exuviis condita; tum universae Ecclesiae sollicitudo, qua Eaedem a caeterorum ossibus secernebantur, ac pia in eas obsequia; tum denique omnis per Concilia et Patres huc usque producta traditio, satis superque comprobant, ac testantur.

2. Hujusmodi autem veneratio sacris Scripturis innititur, in quibus nonnulla illius vestigia reperire solemus (1). Hinc Concilium Tridentinum mandat — Sanctorum Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus veneranda esse. — Quam vero grata haec in sacras Reliquias Religio, Eccle-

---

(1) *Exodi XIII. 19. — Ecclesiastici XLIX. 16. — IV. Reg. XIII. 21. — Ecclesiastici XLVIII. 14. — Item IV. Reg. XXI. 17. 18. — Math. 9. — Act. 5. 15. — Ibidem 19. 22.*

siaeque disciplina Deo fuerit; ex innumeris miraculis, et ex datis divinitus beneficiis clare aperteque constat. Quare Sanctorum corpora semper habita sunt tamquam adamantini et inexpugnabiles muri civitatum, et veluti excelsi quidam scopuli undique prominentes (1). Hinc ad sacras Reliquias ampliori cultu venerandas dies festi indicti, publicae supplicationes institutae, sacrificia Deo oblata, templa condita sunt, ut Deus per eas mala averteret, publica amplificaret commoda, populorumque preces et vota benignior exciperet.

3. Verum, ne quid superstitionis pravique moris in sanctorum cultum irrèpat, haec de sacris reliquiis decernimus, postmodo de sacris Imaginibus locuturi.

4. Praecipuum sit Parochorum munus, hoc tam salutare populos edocere dogma; nec non, quo Deus cultu adorandus, quo Deipara, et quo Sancti venerandi sint, explicent; ac de sanctorum intercessione, invocatione atque Reliquiarum honore loqui non omittant, ac dicent cum S. Hieronymo — Honoramus Reliquias Martyrum, ut Eum, cujus sunt Martyres, adoremus: honoramus servos, ut honor servorum redundet in Dominum, qui ait: qui vos suscipit, me suscipit. (2) —

5. Edicimus, ne quis audeat in quacumque Ecclesia etiam Regularium, Sanctorum Reliquias po-

---

(1) S. Joan. Christ. Homil. de Laud. Mart.
(2) S. Hieron. Epist. 12. ad Repar.

puli venerationi exhibere, si illae authenticis sint destitutae litteris, nec inde recognitae fuerint ac approbatae. Si quae Reliquiae sunt, quae legitimis careant documentis, seorsim custodiantur: quas fidelibus venerandas proponi vetamus, nisi vero diuturna traditio publicum earum, et nunquam intermissum cultum tueatur.

6. Quoquo quisque modo sese gerere teneatur erga Reliquias et cultum servorum Dei, quibus coelitum honorem nondum Sedes Apostolica constituit, ea, quae Urbanus VIII. et S. R. Congregatio decreverunt, serventur oportet (1).

7. Cum Sanctorum Reliquiae venerandae et deosculandae ad altare deferuntur, id per Sacerdotem, superpelliceo tantum cum stola indutum, qui hymnum et orationem ante aram recitet, et cum thure et luminibus fieri mandamus. Idem vero ritus in illis ab altari coram fidelibus amovendis servetur. Cum autem ipsae manent expositae, si Ecclesiae fores pateant, ante eas, non minus quam duae cereae candelae et ante Reliquias B. M. V. aliasque insigniores non minus quam quatuor, atque ante Lignum S. Crucis, ac instrumenta Passionis Domini non minus quam sex ardeant. (2)

8. Nec reliquiae ponantur venerandae in alta-

---

(1) *Cap.* audivimus *de Reliq. et Ven. SS. Const. Urbani VIII. Sanctissimus 1625. — Const. Coelestis Hyerusalem 1634.*

(2) *Bened. XIV. de Beatif. et Canon. Ss. lib. 4. part. 2. cap. 6.*

ri, ubi Eucharisticum expositum est Sacramentum (1) quod si in sacro tabernaculo sit, tunc tantum in altaris latere Reliquiam exponi posse conceditur.

9. Reliquias, nisi ex Sanctissima Cruce, aut ex aliquo Dominicae Passionis Mysterio sint, ad publicum cultum sub tentoriolo exponi, et sub baldachino in processionibus deferri vetitum est (2). Eas vero Parochi vel in sacro, ubi Eucharistia asservatur, tabernaculo, (3) aut in eo, ubi Sanctum Oleum custoditur, loculo, collocare caveant.

10. Nec quis sine nostra venia Reliquias in Ecclesiis asservatas alio transferre, donare, earumque particulas largiri (4), aut eas, ut sumantur in potione vel in cibo, radere audeat (5) sub poenis in sacrilegos constitutis.

11. Ut quaestus nota ac suspicione careat Reliquiarum exhibitus cultus; praecipimus, ut fidelium oblationes, quae in grati animi argumentum Sanctorum Exuviis aut etiam Imaginibus afferuntur, nec in Parochi, nec in alius Sacerdotis commodum cedant; sed ad eas majori ornatu decorandas impendantur.

12. Urnulae, et thecae argenteae, vel stamneae, aut etiam ligneae, auro, argentove obdu-

---

(1) S. C. Conc. in Aquen. 2. Sept. 1691.
(2) Ex Decr. Clemen. XI.
(3) S. Cong. 3. Martii 1593
(4) Can. Sanctorum dist. 1. de Consec.
(5) Gavant verbo: Reliquiae N. 23. et 34.

ctae, authentico signo et crystallo munitae, Sanctorum Reliquias ea, qua par est, decentia custodiant. Praecipimus autem, ut sacra haec pignora in Ecclesia, seu in Sacrario asserventur in armario, pictura sericisque velis ornato, clavique Clauso; et super armarium haec exterior notetur inscriptio — Reliquiae Sanctorum — Caveant Ecclesiarum Rectores, ne litterae Authenticae, atque alia documenta, quae ad certam de Reliquiis fidem faciendam pertinent, dispereant. Quapropter jubemus, ut ea sint vel in Reliquiarum Armario, aut in Ecclesiae tabulario custodienda. Reliquiarum vero indicem componant, cujus exemplar intra tres menses a publicatione hujus Synodi ad nostram Curiam deferant; alterumque exemplar ad fidelium pietatem excitandam in obvio patentique Ecclesiae loco apponatur.

13. Nec quis sine Vicarii Generalis aut Vicarii Foranei licentia sacras ab Ecclesia Reliquias ad profanas deferre domos audeat quavis causa etiam infirmitatis (1): facta autem facultate Sacerdos eas reverenter deferat, et, absoluta benedictione, ad locum suum restituat.

14. Sacris praeterea Imaginibus debitum honorem, et venerationem impertiendam esse, mandat Tridentina Synodus (2). Per sacras enim Imagines ponuntur ante oculos dominica Mysteria, Sancto-

(1) *Concil. Med. apud Gavantum.*

(2) *Concil. Trid. sess. 25. de Invoc. et ven. Sanctorum.*

rum victoriae, eximiaeque res gestae, ut fidelium animus a terris ad coelestia avolet, et ad Dei amorem, Sanctorumque imitandas virtutes excitetur. — Imago siquidem monumentum quoddam est; et quidquid liber est iis, qui litteras didicerunt, hoc Imago est illitteratis ac rudibus; et quod auditui praestat oratio, hoc visui confert Imago. (1) —

15. Vetamus, ne in nostrae Dioecesis Ecclesiis Sanctorum Statuae et Imagines, quae in tela, et non in carta debent esse pictae, publico exponantur venerandae cultu, antequam a nobis approbatae et consueto Ecclesiae ritu fuerint benedictae (2): nec in illis nimia sit deformitas, quae ad risum moveat; nec procax venustas, quae scandalum afferat; nec profana vanitas, quae devotionem imminuat, aut extinguat (3).

16. Parochi aut Vicarii Foranei signum S. Crucis, ac Deiparae, Sanctorumque Imagines, in foedis immundisque locis depingi, insculpi, atque apponi non patiantur (4); quas statim delendas, vel removendas mandamus, siquae in hujusmodi habeantur locis. Si quae imagines carie detritae sint, aut nimia collapsae vetustate, aut reficiantur, aut deleri vel comburi poterunt. Imagines vero sacrae, quae in parietibus per compita, per vias, plate-

---

(1) *Joan. Damas. Ort. 1. de Imaginibus.*
(2) *Pontif. et Rit. Roman. de Bened. Imag.*
(3) *Ex Conc. Triden. sess. 25. decret. de Ven. Sanctorum.*
(4) *Lambertinus Inst. 73. N. 11.*

asque pingi solent, ad eas a cujusvis injuriis prohibendas, loco edito positae sint. Si autem sacris his Imaginibus munuscula, pecunias, aliasque oblationes fidelium pietas deferat; sciant fundi possessores, non posse ea sibi dona vindicare, quae erunt cuiquam a nobis designato colligenda, atque administranda (1).

17. Si perpetrati divinitus per sacras Imagines et Reliquias novi miraculi rumor exoriatur, tunc nos statim Parochi de re certiores reddant. Sed interim affluentis populi turbas compescere enitantur: quin etiam templi claudantur januae. Nos vero, adhibitis in consilium doctis piisque viris, quid agendum sit, decernemus. Vetitum volumus, sacras Imagines ac Statuas ab erronibus et vagis per Dioecesis oppida circumferri, nisi prius fuerit a nostro Vicario Generali facta facultas, quae foeminis numquam dabitur. Caveant hujusmodi errones, miracula et indulgentias affluenti populo enarrare ad stipes colligendas, etiam in celebrationem impendendas Missarum, sub poenis pro modulo culpae irrogandis.

18. Silentio quoque praetereundum non est, cereas, quae Agnus Dei vocantur, effigies, a Summo Pontifice solemni consecratas benedictione, inaurari, aut pingi, aut venales proponi, vetitum esse sub excommunicatione latae sententiae (2),

---

(1) S. Cong. Concil. in Rotugallen. an. 1727.
(2) Gregor. XIII. Const. omni certe studio.

non tamen reservata: qua poena plectuntur et qui sinunt et qui audent, illas inaurare, pingere, vel venales proponere. Istae enim Cerae albae et mundae Agnum illum purum et innocentem repraesentant, qui occisus pretioso suo Sanguine nos redemit (1).

19. Omnes insuper ex grege nostro fideles hortamur, ut Jesu Christi, Deiparae, Sanctorumque Imagines in cubiculis habeant non tantum ad domus ornatum, sed ad pietatem excitandam, ad orandum, ad gratias coram illis de beneficiis agendas, ad veniam pro peccatis implorandam. Parochos etiam monemus, ne inhonestas obscoenasque Imagines in fidelium domibus inesse patiantur; iisque, quos penes illae sunt, suadeant, melius ac satius esse, picturas eas, nulla habita nec ad pretium, nec ad praestantiam auctoris ratione, perire, quam corpus et animam perdere in gehennam. Si opus vero fuerit, hac de re nos etiam certiores faciant.

20. Praeterea Parochi satagant, ne quid indebitae devotionis erga Imagines et Reliquias in rudiorum animos irrepat; et videant, an quid superstitionis irrepserit. Quapropter populum hoc Dogma doceant juxta Concilii Tridentini doctrinam — Imagines Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum colendas . . . eisque honorem

(1) *Idem Pontif. Const. cit.*

et venerationem impertiendam esse, non quod credatur inesse aliqua in his divinitas vel virtus, propter quam sint colendae, vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, velut olim fiebat a gentibus, quae in Idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant. (1) — Ut denique fideles inflammato verae devotionis studio ad Sanctorum Imagines ac Reliquias confugiant, simplici vulgarique sermone explicare Parochi non omittant — Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre: ac bonum ac utile esse, suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, et Salvator est, ad eorum orationes, spem, auxiliumque confugere (2).

---

(1) Concil. Trid. sess. 25. de Invoc. Sanct. et sacr. Imag.
(2) Concil. Trid. Ibidem.

CAPUT VII.

DE PUBLICIS SUPPLICATIONIBUS SEU PROCESSIONIBUS.

—

1. Etsi Processiones, seu publicas Supplicationes, quidam non infimae notae lyturgici Scriptores, (1) praesertim in S. Jacobi Lyturgia, ac Tertuliani testimonio freti, ab Apostolis institutas esse tueantur; tamen Ecclesia, cum primum a funesto illo diuturnoque ab Ethnicis indicto bello pulchrior validiorque evaserit, in sinu amicae pacis per Imperatorem Constantinum redditae, solemnium Supplicationum ritum certe quidem indidisse videtur. Originem autem suam e Testamento veteri duxit pulcherrima haec institutio, quam a Sinagoga, ut ita dicam, mutuata est Sancta Mater Ecclesia pro communi bono et maximo cum emolumento.

2. Ecclesiasticorum enim coetus, una cum populo certo ordine incedentes, ac veluti castrorum acies compositi, satis validum praestantemque constituunt exercitum militantis Ecclesiae, qui tum jucundum Deo et Angelis, tum infernis spiritibus formidandum exhibent spectaculum. Faxit Deus, ut nostrae aetatis fideles huic Ecclesiae instituto ea, qua par esset, religione, responderent. Nam ipsa

---

(1) *Lupus in dissert. de sacris Processionibus — V. Fornici in sacra Lyturg. tom. 2. cap. X. De Processionibus in genere.*

vel ad populi pietatem excitandam, vel ad Dei commemoranda beneficia, vel ad divinum in rebus angustis ac difficillimis implorandum auxilium, has publicas instituit Supplicationes, quae et magna continent mysteria, (1) et efficere quidem solent, ut populus, qui illas pie ac devote peragit, salutares fructus et misericordiam a Deo consequatur in auxilio opportuno.

3. Ne sacrae igitur harum celebritatum consuetudini aliquid, quod a Religionis nostrae sanctitate alienum sit, immisceatur, quaedam de Processionibus rite peragendis decernemus.

4. Parochi de Processione proxime peragenda, die festo praeeunte, inter Missarum solemnia populum moneant; et qua de causa fuerit illa instituta, vel indicta, etiam doceant; ac tepescentem populi pietatem excitare nitantur. In salutatione Angelica vespertina diei antecedentis Processio matutina, in salutatione vero Angelica meridiana Processio vespertina aeris campani sonitu nuntianda est.

5. Vetamus, ne, quae ex Ecclesiae instituto, aut quae ex laudabili consuetudine in Dioecesi nostra fieri consueverunt, Processiones omittantur: nec inusitatae ac novae ex quacumque causa instituantur (2) sine nostra aut Vicarii Generalis in

---

(1) V. Ritual. Rom. de Proc. §. 1.

(2) S. R. C. Decr. Urbis et Orbis 10. Decemb. 1703. — S. C. C. in Bonon. 15. Maji 1728.

scriptis venia, sub gravi poena irroganda. Videant Regulares, (1) ne extra ambitum limitesque Monasterii suas sine aut apostolico indulto, vel nostra licentia, Processiones circumducere audeant. Caveant mulieres, ne, data Processionis occasione, Monasterii septa, sub violatae Clausurae poena, ingrediantur. (2)

6. Cum pravorum hominum impudentia etiam iis, quae sanctissima sunt, abuti soleat; hinc nocturno (3) Processiones fieri tempore vetamus: ex quibus eam velimus exceptam, quae feria quinta in Coena Domini, vel feria sexta in parasceve noctu peragitur. Verum tum in hujus, tum in aliarum tempore Processionum, quae, facta prius a nobis facultate, noctu fient, mulieres domi maneant, animo, mente, affectuque pietatis consentientes in precando. Eae vero Supplicationes, quae inclinata ad vesperum die habentur, ante vespertinam salutationem Angelicam absolvendae sint.

7. Ad singulas autem Supplicationes, quae vel ex Ecclesiae praecepto, vel ex veteri consuetudine fiunt, vel a nobis indicentur, dato aeris campani signo, accedant omnes, qui illis ex jure interesse tenentur; de Clero saeculari intersint Dignitates, Canonici, Cappellani, suis decorati insignibus, aliique Sacerdotes, et Clerici veste talari, super-

---

(1) S. R. C. in Senogallien. 22. Junii 1676. in resp. ad Oct.
(2) Bened. XIV. Const. Regul. 1742.
(3) Clem. X. In edicto Urbis

pelliceo et birreto ornati; de Clero regulari conveniant Regulares omnes, ex privilegio non exempti, eo, quo in Choro utuntur, habitu induti, qui propriam elevent crucem, unde pendeat velum (1). Nec non laicarum confraternitatum sodales adsint, saccum gestantes, propria cruce elevata et vexillo. Si qui cum musicis adsint instrumentis, Regularibus praeibunt. (2)

8. Statuta hora, ea in Ecclesia, ubi inchoanda est Processio, omnes consistant, et a jurgiis, jocis, risu, vanaque confabulatione caveant; sed devotam piis precibus dare operam curent. Dato autem a Caeremoniarum Magistro procedendi signo, coetus ex ordine singuli progrediantur. Nemo ex Sodalitatum confratribus sacco indutus in tabernas et cauponas sese inferat, aut hac illac in civitate vagetur, aut arma ferat, gravissimis plectendus poenis: sed omnes aequa bini distantia in devoto agmine progredientes, gestu, oculis, vultu, totiusque corporis habitu ad modestiam compositi, eas quidem preces, quae pro tempore indicentur, canant, aut alias cum comite submissa recitent voce. Sodalitates, et praesertim Regulares ad Ecclesiam, ubi absolvenda est Processio, non solum adire, sed ibi precibus, orationibus, et benedictioni adstare tenentur. (3)

---

(1) S. R. C. in Neapolitan. 14. Jan. 1617.
(2) S. R. C. 1839.
(3) S. R. C. in Pisaur. 7. Martii 1648.

9. Sit, qui Processioni eo, quo decet, ordine ducendae praesideat. Sit ad templi fores Caeremoniarum Magister quem ex canonicis eligemus, aut censorius in Dioecesi Sacerdos, ad quem pertineat evocare Coetus, suum cuique praestituere locum, et punienda errata ad nos referre. Si autem in contentionem de jure praecedentiae ventum sit; haec ad nos, si tempus sinit, deferenda statim est, ut, controversiae juribus hinc et hinc perpensis, dirimatur contentio (1). Si vero angustia temporis urget, obtemperandum est Caeremoniarum Magistro, aut Vicario Foraneo, aut Rectori Ecclesiae, qui ea tantum vice, ne perturbetur Processio, locum dicat (2). Qui autem perturbationem excitarunt, poena pro modulo culpae multentur.

10. Si qui tumultu, rixis, musicique instrumenti strepitu, aut profano cantu Processionem perturbent, timoremque in Clero, populoque ingerant, poena carceris gravique mulcta plectentur.

11. Praeterea in Processionibus pueri puellulaeque alis, coronis, aliisque id genus ornamentis indutae, seu, ut dicunt, habitu angelico non deferantur. Quaecumque spectacula, etiam Sacra, in viis et plateis Supplicationum tempore non exhibeantur sine nostra in scriptis licentia. Mulieres etiam caveant, ne in Processionis transitu ad fenestras cursitent, nec sese vultu foris efferant,

---

(1) Conc. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 13.
(2) S. C. Ep. et Reg. in Ventimil. 2 Julii 1613.

spectandae potius quam spectaturae ; nec gestu risuque offendiculum cuique sint.

12. Vias omnes, per quas Supplicationum coetibus transeundum est, ab iis, qui domos ibidem incolunt, sordibus verrendas esse volumus. Apothecae quoque sint fere clausae, opificesque, diebus etiam non festis, ab omni vacent strepitu usque dum transitum ante eorum officinas fecerit Processio.

13. In festo SS. Corporis Christi splendidiori, qua poterit, pompa (1) et apparatu, ac pientissimo animorum affectu Processio celebranda est. Viae enim, quibus adorandum Sanctissimum Christi corpus circumfertur, non solum verrendae, sed aulaeis ornandae, et virentibus frondibus, floribusque sternendae sunt. Supplicationes vero in festo S. Marci, ac in triduo ante Ascensionem maxima animi pietate obeundae sunt, ut Deus, ferventiori populi sui prece motus, benedicat coronae anni benignitatis suae, (2) repleat campos ubertate, ac de rore Caeli et de pinguedine terrae abundantiam largiri dignetur: in quibus Supplicationibus Missa canenda est, cui Capitulum et Clerus tenentur, ac Regulares et Sodalitia monemus interesse.

14. Augustissimum Eucharistiae Sacramentum et signum Sanctae Crucis (3) tantummodo in Pro-

---

(1) Caerem. Epis. lib. 2. cap. 33.
(2) Psal. 64. vers. 12.
(3) S. R. C. in Cajet. 18. Junii et 2. Sept. 1690.

cessione sub baldachino deferatur; et Capitulum et Clerus capite incedat detecto. Omnes autem, quae in Rituali Romano, titulo de Processionibus, praecipiuntur, caeremonias servandas curent Canonicorum Collegia, Archipresbyteri, Parochi, et Vicarii foranei, et videant, ne quid addatur, ne quid auferatur Litaniis praesertim, ac precibus ab Ecclesia decretis.

15. Omnes insuper nobis creditos fideles hortamur in Domino, ut, qui sacris Supplicationibus adsunt, eam, quae decet, animi pietatem, ingenuamque totius corporis et praesertim vultus praeferant modestiam: qui vero non intersunt, ubi progredientem nanciscantur Processionem, caveant a clamoribus, nec tecto consistant capite, nec tergo illi dato confabulentur; nec curru, equis, ac aliis id genus eam perturbent; nec quidquid irreverentiam ac impietatem olet, ostentent, sub poenis pro ratione culpae irrogandis.

CAPUT VIII.

DE BONIS ECCLESIAE CONSERVANDIS EORUMQUE ADMINISTRATIONE.

—

1. Cum Ecclesia sit quidem hominum societas, sed omnem humanam auctoritate supereminens potestatem, et in summo sacroque reverentiae honore apud omnes habenda; hinc iis, quibus omnes societates innituntur, juribus prae ceteris gaudere fruique debet. Inter jura quae potissima et maxima sunt, assurgit jus possidendi, sine quo quaevis societas nec diu stare, nec ea, qua decet, rerum ratione consistere unquam potest.

2. Cum sane sese ita res habeat, ex jure naturali in Ecclesiam proficisci jus possidendi quisque fateatur, necesse est. Huc etiam adde, quod, cum a Christo ita Ecclesia fuerit constituta, ut omnes in sinu suo amplecteretur nationes; ut nec ulla temporum longinquitate, nec hominum, nec Daemonum vi atque impetu interiret; ut ad omnia sibi insita principia, dogmata, et instituta in dies singulos tum absolvenda, tum amplificanda, ac in omnes amandanda terras ex sua quidem natura tenderet; debuit illa a divino accipere institutore, quidquid ad hanc metam necessario assequendam tutâ ipsam viâ perduceret. Ex jure igitur positivo divino derivatur etiam in Ecclesiam

jus possidendi; sine quo ad suum pulcherrimae institutionis finem assurgere illa numquam posset.

3. Praeterea si perpendimus, Christum et Ecclesiam, cum fideles sint membra Christi, quorum caput Christus est, unam tantum mysticam constituere personam; meridiana clarius patet luce, quae bona sunt Ecclesiae, ea esse etiam bona Christi. Hinc fit, ut ex jure divino in Ecclesiam deducitur jus possidendi.

4. Insuper quisque novit, Ecclesiae bona in id vel donata vel empta esse, ut ad Dei cultum, ad Religionis incrementum, ad Dei ministros alendos, ipsamque juvandam impendantur societatem, cujus caput Christus est. Hac etiam de causa jus possidendi, quo fruitur Ecclesia, esse vere jus Christi, qui Societatis Ecclesiaeque caput est, omnes tandem aliquando fateantur oportet.

5. At in tanta hujus temporis pravitate, tantaque rerum omnium perturbatione nequissimum hominum genus extulit caput, qui ponunt in Coelum os suum, iniquitatem loquentes in excelso (1), et libertatis et aequalitatis nominibus abutentes, exitiosa (2) Communismi et Socialismi figmenta in populos disseminant; ac tum Ecclesiae, tum societatis perniciem molientes, omnium civium et praesertim Ecclesiae bona invadere, atque, omni

---

(1) *Psal. 72. v. 8. et 9.*

(2) *Encycl.* Nostis *SS. D. N. Pii IX. data Neap. in suburb. Portici 8. Decemb. 1849. §. Atque ad pravam.*

adhibita omnium nequitiarum arte, diripere conantur.

6. Verum quo audacior est in hujusmodi hominibus, atque avidior cupido et ardor rapiendi; eo solertior in nobis esse debet ac studiosior Ecclesiae in bonis suis tutandae cura et diligentia. Ut etiam Fideles, nobis concrediti, ab horum sacrilegis impiorum placitis caveant; atque ut, quid per sacros canones, et quid per pontificias de Ecclesiae bonis sancitum fuit constitutiones, intelligant, verba hac de re facere statuimus.

7. Ne haereditas nostra vertatur ad alienos (1); atque ut populus religioso terrore perculsus ab attrectandis Ecclesiae rebus manus abstineat, Parochi juxta Concilii Tridentini decretum (2), quotannis in prima Dominica Junii per ipsos populo edicendum, moneant plebem de ira Dei contra eos, qui temere aliquid de Ecclesiae patrimonio rapere non dubitant. Spiritus enim illorum, ut ignis (3), vorabit eos; et super eorum opes extendetur mensura, ut redigantur (4) ad nihilum. Canones etiam bonorum Ecclesiae invasores eo anathematis fulmine (5) feriunt, ut tantum post restitutionem ex integro a summo Pontifice absolvi possint (6).

---

(1) Orat. Jerem. v. 2.
(2) Sess. 22. de Refor. cap. 11.
(3) Isaiae 33. v. 11.
(4) Isaiae 34. v. 11.
(5) Can. Nulli et seq. 12. 9. 2. — Can. in Canonibus 16. 9. 1.
(6) Trid. loc. cit. — Const. Caenae Domini §. 11.

8. Si quis clericus ita beneficium suum deprehenderit, ut illud ex aliena occupatione, aut imminutione in bonis aliquid jacturae fecerit; quod occupatum est statim vindicet; atque de eo, quod imminutum est, videat, ut omne reparetur detrimentum.

9. Immobilia, et mobilia pretiosa (1) Ecclesiarum piorumque locorum bona vendi, permutari, donari, in Emphyteusim tradi ac in pignus, hypothecae, censui, servituti, canoni subjici sine apostolicae Sedis beneplacito (2), vel nostro in iis, quae jure canonico permittuntur, vetitum sub censuris (3) est. Inito etiam contractu cum apostolici placiti reservatione, nisi hoc fuerit re vere impetratum, non tradatur posessio sub censuris per sacros canones et pontificias constitutiones (4) statutis; omnesque hujusmodi contractus sint irriti. Transactio autem et conventio tum de rebus, tum de juribus, quae in controversiam cadunt, sine apostolico quidem placito (5) interdicuntur. Cum locatio, ad plurimos annos producta, alienationem sapiat, statutum est, ne ultra triennium fiat, et ita, ut non privatim, sed per edicta publica quae-

---

(1) Extrav. Ambitiosae.

(2) Concil. Trid. sess. 22 cap. 11. de Refor.

(3) Cap. Nulli de rebus Eccles. non alien. — Extrav. Ambitiosae — Urbanus VIII. Const. Humanae 1. Nov. 1625.

(4) Cap. V. Nulli — Urbanus VIII. Const. Humanae 1. Novemb. 1625.

(5) Cap. 7. Super eo *de Transact.*

rantur meliorem conditionem offerentes. Locatio autem ultra triennium utile (1), quod idem sonat ac ultra tres fructuum perceptiones, iniri nequit sine eodem placito. Vetantur etiam locationes ad triennium, quae sub ea lege fiunt, ut, si ultimis mensibus partes quiescant, nihil innovantes; per aliud triennium (2), et sic deinceps porrectae censeantur. Locationes praeterea, quibus apposita est conditio successoribus perniciosa, nimirum ut annuorum Canonum solutiones anticipentur, Concilium Tridentinum irritas nullasque declarat (3).

10. Ecclesiae, piique loci debitoribus, consanguineis (4), et affinibus usque ad tertium gradum Ecclesiae bona in locationem, et praesertim in Emphyteusim tradi, vetitum est: nec ad eos, qui ipsius pii loci bona administrat, eam admittatur sine nostra in scriptis venia. Si vero cum finitimis praediorum dominis locatio, vel Emphyteusis fiat; ne postea lites, confusis aut revulsis terminis, insurgant; et ne, Ecclesiae detrimento, ulla ampliandi fines detur occasio; praecipimus, ut non solum in ipsa locationis vel Emphyteusis syngrapha clare exacteque describatur praediorum divisio; sed etiam ne lapidei termini utriusque praedii e-

---

(1) Rota in Tiburt. Afflictus 19. Jun. 1648. — S. C. C. in Florent. 7. Jun. et 20. Sept. 1692. et 8. April. 1693.

(2) Ex Concil. Rom. Tit- 19. cap. unic.

(3) Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. de Refor.

(4) Alexand. VII. Const. Superna 23. April. 1657. — S. C. C. in Parmen. 7. Oct. 1602.

vellantur : locatus, vel in Emphyteusim traditus ager typo geometrico, quem, qui finitimi sunt, subscribant, designetur; quod quidem in aliis hujusmodi contractibus fieri volumus sub poena nullitatis.

11. Ecclesiae bona non facile in perpetuum, sed quidem ad tertiam generationem in Emphyteusim concedi utiliter poterunt sub hac lege, ut bona tradita nec in rerum familiae divisione, nec pro dote assignanda in portiones dividantur. Concessiones autem semper fiant sine renovationis spe, et cum clausula, ut bona illa cum suis membris, juribus, et pertinentiis, nec non melioramentis, tempore concessionis expleto, pleno jure, et omnino libera ad Ecclesias, ac loca pia revertantur. Hoc idem servandum est in contractibus, quibus praedia ad tertiam generationem dari solent sub lege hac, ut socius colonus vites aliasque arbores juxta agriculturae leges ponat, et omnium tertiam vel dimidiam partem fructuum pro canone tribuere teneatur.

12. Novum Apostolicae Sedis non requiritur placitum in illis Emphyteusi subjiciendis bonis, quae ab antiquo in Emphyteusim concedi (1) consueverunt, dummodo non sint Ecclesiae pioque loco, etiam per annum incorporata (2), nec priorum

---

(1) Urbanus VIII. Const. Humanae salutis 1. Nov. 1625.
(2) S. C. Epis. et Reg. in Januen. 12. Febr. 1597.

concessionum pacta conditionesque immutentur. Requiritur tamen Episcopi auctoritas et Decretum.

13. Praedioli praeterea, vineolae, terrulae aliusque reculae alienatio ex Episcopi fieri poterit auctoritate, si quinquaginta scutorum (1) summam non excedat, atque utilitas vel necessitas Ecclesiae id requirat.

14. Insuper Beneficiati, atque administratores caveant, ne bona, quibuscumque ex causis devoluta, negligant; nec conniveant in poena caducitatis, sed nos statim de re certiores reddant. Ut vero in Emphyteusi ecclesiastica omnis arceatur fraus; et quisque, quid in rebus Ecclesiae locandis, ac alienandis agendum sit, dignoscat; hortamur omnes in Domino, ut ea, quae Concilium romanum (2) praescripsit, omnino serventur.

15. Arbores fructuosae, et sylvae non sua natura caeduae non succidantur sine placito Apostolico, vel nostro in casibus a jure permissis. Si quis subcrescentes in sylva arbusculas, quae arboribus ingentis trunci sint infestae, caedendas existimet, apostolico indiget placito (3): pretium vero, tamquam praebendae fructum, sibi Beneficiatus vindicare quidem potest (4). Arbores inutiles,

(1) *Can.* Hoc jus *Caus. 10. q. 2.* — *Can. Terrulas Caus. 12. q. 2.*

(2) *Concil. Rom. sub Ben. XIII. tit. 19. cap. unic. §. 1.*

(3) *S. C. Ep. et Reg. in Romana super caesione et alien. Arbor. subcres. 17. Febr. 1840. ad 1. dub.*

(4) *S. C. Epis. et Reg. in casu. cit. discusso, art. declar. 1841.*

sylvaeque sua natura caeduae succidi vel decerpi poterunt, petita tamen nostra venia.

16. Vivant Beneficiati de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio (1) deputantur, sed caveant ita praedia negligere, ut spinas tantum ac tribulos beneficiatis relinquant successoribus: quod iniquum est nulloque pacto ferendum. Excolantur igitur praedia, nec in deteriora deducantur; locatis invigilandum est agris: domus tum rusticae, tum urbanae reficiantur.

17. Caveant Clerici, ne beneficiorum reditus vel ecclesiasticas pensiones vendant ad vitam, vel in plurimos annos, tanta pecuniarum vi percepta, quantam per vitae vel cujusdam temporis spatium percipere potuissent; nec solutiones a locatoribus in antecessum exigant.

18. Bona ecclesiastica administrent viri solertia, integritate, ac fide probatis. Administrator enim si fidelis non fuerit, fraudabit; si non fuerit prudens, (2) fraudabitur. Sint igitur illi non nimis juniores, non filii familias, non alieno aere gravati, non ipsius pii Loci conductores, nec Emphyteutae. Non administrationem ineant, nisi sint jurati, et nisi idoneam exhibeant cautionem. (3) Testes etiam et periti ea sint honestate et aequitate, ut procul absit doli, mendaciique periculum. Qui

---

(1) *Cap. Cum secundum 16. de Praeben.*
(2) *S. Bernard. lib. 4. de consid. cap. 6.*
(3) *Concil. Trid. sess. 22. cap. 9. de Refor.*

autem verum tacuerint, aut falsum affirmarint, illata Ecclesiae damna reparent, diuturnoque carcere tanti criminis poenas luant.

19. Locorum piorum reditus juxta defunctorum voluntatem atque Instituti leges, non ad res inutiles, futilesque causas, non ad id, quod a Dei cultu, pauperumque utilitate alienum est, impendantur. Sumptus etiam extra ordinem pro qualibet causa sine nostra venia nunquam fiant.

20. Administratores in tradita procuratione non sint ultra triennium, nisi aliter nobis visum fuerit. Triennio elapso rationum libros attente diligenterque scrutentur syndici, qui, prout gestio bene an male acta est, aut laudis aut illati damni sarciendi sententiam dicant.

21. Ne Ecclesiae jurium dispereat memoria, consultum a nobis est, ut instrumenta scripturaeque omnes, quae ad Ecclesiam et ad pia Loca pertinent, in tabulario, ac in armariis episcopalibus, quae vetustate fatiscebant, sumptu nostro innovatis, quam tutissime conserventur. Ab Ecclesiarum autem Rectoribus, piorumque locorum ministris, armarium, si desit, estruatur, in quo clavibus seraque munito omnes, quae ad ipsas Ecclesias et pia loca spectant, scripturae ab injuria temporum diligentissime custodiantur. Parochi praeterea et confessores quemque fidelium moneant, ut, si quis hujusmodi scripturas apud se retineat; aut pro certo sciat, ubi illae occultentur; eas statim ad nos remittere, aut ostendere, ubi lateant,

sub gravi poena teneatur. Quod si documenta, possessiones Ecclesiae probantia, in cujusquam privati commentariis, aut in domestico chartophylacio inscripta, maneant, nos certiores facti, curabimus, ut illorum saltem exemplum excribatur. Si quis hujusmodi documenta et scripturas neget, supprimat, adversariisque tradat, illata Ecclesiae reparet damna, et anathemate feriatur (1).

22. Pecuniarum summae seu ex censuum extinctione, seu ex legatis, seu ex aliis viis ita ad Ecclesiam piaque loca corrivatae, ut in bonis stabilibus investiendae sint, nulli tradantur (2) nisi publico piorum locorum depositario, qui monitos de re faciat illius Ecclesiae rectores aut Beneficiatos, aut Administratores, quorum id interest; ac intra octiduum ad cancellarium nostrum depositae pecuniae relator accedat. Si quis autem hujusmodi pecunias in proprios usus sibi vindicaverit, se in poenas contra bonorum Ecclesiae alienatores incidisse noverit.

23. Ad Ecclesiae praeterea bonorum memoriam ab injuria temporum illaesam integramque servandam, ex Concilii Romani mandato (3) Capitula, Seminarii Collegiique Oeconomus, Parochi, beneficiorum etiam simplicium et de jure patronatus

---

(1) *Concil. Agathen. can.* 26. — *Can. si quis* 33. *et* 40. — *Can.* 12. 9. 2.

(2) *S. Pius V. Const.* Cum unus 9. *Jan.* 1566.

(3) *Concil. Rom. tit.* 22. *cap.* 1.

possessores, Congregationum, Confraternitatum, Hospitalium, Monasteriorum Monialium, aliorumque piorum locorum administratores inventarium de bonis omnibus mobilibus, de juribus quibuscumque, de actionibus et reditibus, de debitorum nominibus, de rebus et pecuniis creditis, de rebus etiam male alienatis seu usurpatis, nec non de omni sacra supellectile, et de singulis oneribus cujuscumque generis, quibus eadem bona graventur, ut in nostris literis die sexta Martii 1856. datis ediximus, intra decem menses a publicatione hujus Synodi, in ordinem redigendum curent. Visores etiam pro fundis inspectandis statuimus, ut nos, intra idem mensium spatium, quid sit de fundorum omnium cultura, statu, et custodia, certiores reddant.

24. Duplex hujusmodi inventarii exemplum fiat: alterum in nostrae curiae tabulario servetur; alterum in Ecclesiarum, piorumque locorum armarium deferatur. In quolibet autem inventario haec addatur clausula vel declaratio — illud Ecclesiarum rationibus haud nocere, si alia forte jura et bona in inventario omissa, ad eas pertinere compertum fuerit (1).

25. Omnes denique vel saepissime hanc S. Bernardi sententiam recogitemus. Quod victui secundum cujusque conditionem superest, totum (2) es-

---

(1) Concil. Rom. 1725. tit. 12. cap. 1. et 2.

(2) S. Bernard. Epist. 12. — Can. Episcopus 12. q. 1. — Can. Vobis 12. q. 2.

se in honorem Dei, et fratrum subsidium impendendum. Hinc fit, ut, etiam ex gravissimo S. Hieronymi testimonio, gloria Sacerdotis sit pauperum inopiae providere: ignominia vero (1), propriis studere divitiis. Cavendum est igitur, ne, quae pauperum omnino sunt, nobis usurpatione (2) damnabili vindicemus. Vae Villico iniquitatis, qui bona (3) Domini dissipaverit.

---

(1) S. Hieronym. ad Nepotian. de vita Clericor.
(2) S. Aug. Epist. 50. ad Bonifac. — Can. Si privatum 12. q. 1.
(3) Lucae 16.

CAPUT IX.

DE DECIMIS ET OBLATIONIBUS.

—

1. Omnia jura Decimarum clamant solutionem. Eam enim suadet lex naturae (1), quae jubet, ut Ecclesiae Ministris, qui ad spiritualia populis impertienda omnem toto vitae curriculo operam impendunt, corporalia ad substentationem iidem populi suppeditent. Ad hanc naturae legem non declarandam solum, sed potius imperandam accedit jus divinum. In Exodo autem ita praecipitur (2): Decimas tuas et primitias tuas non tardabis reddere. In Malachia etiam (3): Inferte omnem decimam in horreum meum. Paulus vero his praesertim verbis imperiose confirmat (4): Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.

2. Jure igitur naturali et divino innituntur tot Concilia (5), Praeceptum Ecclesiae, et tot summorum Pontificum Constitutiones, quae Decimarum jubent sub gravissimis poenis solutionem.

---

(1) *S. Thom. 2. 2. q. 87. a. 1.*
(2) *Exod. 22. 29.*
(3) *Malach. 3. 10.*
(4) *ad Chor. 1. 9.*
(5) *Concil. Turonense II. — Concil. Matisconense II. — Concil. Trid. sess. 25. cap. 12.*

Quare ut Decimae in Dioecesi nostra, ea, qua decet, ratione, justitia, animique alacritate solvantur, nonnulla de Decimis declaranda putamus.

3. Cautum jure ac Ecclesiae praecepto est, ut omnes, cujuscumque gradus sint ac conditionis (1), etiam Regulares (2), qui praedia aliaque bona cum imposito Decimae solvendae onere possident, Episcopo, Parocho, aut personis, quibus legitime debentur, Decimas rite persolvant.

4. Omnes vero, ad quos de jure spectat Decimarum solutio, caveant, ne eas aut subtrahant, aut impediant. Qui enim Decimas impediunt aut subtrahunt, per Concilium Tridentinum (3) excommunicantur; nec, nisi plena restitutione perfecta, ab ea possunt absolvi.

5. Parochos ex mandato Gregorii IX.| monitos volumus, ut satis apto dicendi genere populos doceant de gravitate hujus praecepti; cum rudes praesertim, quidquam leve, et non magni ponderis illud putent. Haec S. Augustini verba ad rem apte quadrant — Majores nostri (4) ideo copiis omnibus abundabant, quia Deo Decimas dabant ... Noluimus partiri cum Deo Decimas: modo autem totum tollitur. —

6. Ne vero in Decimis colligendis lis aliqua aut ulla exoriatur contentio; in Ecclesia, populo af-

---

(1) Concil. Trid. loco cit.
(2) Sac. C. Conc. in Ripan. et Urinat. et Firman. 18. Decemb. 1629.
(3) Concil. Trid. sess. 25. c. 12.
(4) Verba haec a S. Aug. leguntur in Can. Mas. 16. 9. 7.

fluente, denuntiatio tum voce, tum in scriptis fiat. Haec per Vicarium Generalem in Civitate, et per Vicarios Foraneos in Dioecesi subscribatur; et in Ecclesiae valvis suspensa, omnes moneat de praestituto Decimae solvendae tempore, quo quidem elapso, omni appellatione remota, in morosos agetur (1).

7. Id praeterea in Parochorum animo altius haereat, sibi hos suppeditari reditus non ad augendum ditandumque peculium (2), nec ad beate luxuque vivendum, sed ut sine rerum mundanarum cura ac sollicitudine, munere fungantur suo, assiduis pro populo precibus Dominum exorent, totoque animo inserviant Ecclesiae; atque ut id in manibus suis inveniant, unde possint egenis, pannosis, fame morboque pressis opitulari.

8. Cum autem Decimarum solutio debita sit Deo, et qui eas dare noluerint, aut dantes impediant, (3) res alienas invadant; sciant populi nobis crediti, impium et periniquum esse, nefarias impiorum hominum sequi doctrinas, qui, aut ecclesiasticis viris invidi atque infensi, aut ad nunc exercendum in bonis Ecclesiae communismum, docent ac ubique disseminant, Decimas nullo unquam pacto esse Ecclesiae solvendas; Decimarum onus esse populis non ferendum. Sibi caveant Chri-

---

(1) Syn. Balneor. Elisei in tit. de Decimis.
(2) Syn. Balneoregien. Elisei loco cit.
(3) Concil. Trid. sess. 25. c. 12. de Refor.

sti fideles ab hujusmodi insidiis; et sicuti caetera Ecclesiae praecepta, sic hoc, quod decimas imperat, bono libentique animo audiant, Ecclesiaeque obtemperent.

9. Cum in Dioecesi nostra hujusmodi consuetudo sit, ut omnes familiae, sive agros habeant, sive his careant, ad quamdam frumenti mensuram Episcopo et Parocho pro decimis tribuendam teneantur; hinc liquet, non omnes praediales esse decimas, quas nostri Dioecesani solvunt, sed partim eas esse ad sacramentales revocandas. Uno autem frumento solvuntur propter hanc profecto causam: cum omnes Dioecesis nostrae populi sint agricolae, dant ipsi libenti animo pro pecunia fructus agrorum quos colunt, unde facilior venit Decimae exactio. Quomodonam praediales eas vocabimus decimas, quas plurimae familiae, propriis destitutae agris, frumento solvere consuescunt? Quod frumentum aut ex alieni agri coltura, aut ex alia industria partum profecto est. Nec vero Dioecesis nostra praedialibus Decimis caret. Nam haec antiquitus invaluit consuetudo, Decimas quidem, quas praedia ex unoquoque Aratro solvunt, eas praediales vocari, quae exegi solent mense Augusto, reliquae autem in Paschate Resurectionis, quarum etiam collectio pro populi commodo mense agitur Augusto. Hanc nos consuetudinem tum probandam, tum confirmandam pro Curiae nostrae norma censemus.

10. Ad oblationes quod attinet, primum monitos esse fideles volumus, ut in illis Deo sanctisque offerendis exemplum Cain effugiant. Qui enim vilissima dat, quid nisi vilissimum sibi quidem expectet? Merito Infoecunditas terrae, frugumque caritas dabitur in poenam, quam Judaeos jam expertos fuisse accipimus a Malachia (1) et ab Aggaeo (2). Deinde praecipimus, ut Oblationes alicui Ecclesiae, vel Sancto, vel Altari dicatae, pro perspecta benefactorum voluntate omnino erogentur, impendantur, atque in apposito adnotentur libello, qui nobis sit in sacra Visitatione exhibendus.

---

(1) *Malach. 1. 14.*
(2) *Aggaeus 1. 6.*

CAPUT X.

DE USURIS, ILLICITIS CONTRACTIBUS ET DE ALIIS DELICTIS.

1. Quamvis prae ceteris humanitatis officiis, quae ad homines arctissimo mutuae charitatis vinculo inter se devinciendos pertinent, illud tamquam praecipuum habeatur, quo concedimus alteri quae eidem necessaria, nobis inutilia existimemus; tamen temporibus hisce, gravis et perniciosa longe lateque percrebuit, atque invaluit opinio, quae tam pulchram beneficentiae vicissitudinem, ubi contractuum, quos gratuitos appellamus, nititur fundamentum, non solum infirmare, sed e medio tollere conatur. Hinc fit, ut iniquissimi foenoris cupiditas, quod est radix mendacii, et causa perfidiae (1) per avidos gentium animos pervaserit; unde, qui aut amicitiae, aut humanitatis, aut Religionis gratia nunc gratuito det mutuum, vix quempiam invenies.

2. Tantum quidem nefas ab avaritia, nimiaque habendi siti originem ducit. At etiamsi hoc dirum, inhumanum, impiumque esse, omnes Leges, at-

(1) *S. Ambr. l. de Tobia cap. 8.*

que omnia jura clamant; tamen dolendum est vel maxime, quod non infimae notae scriptores, qui de sua Catholicae fidei professione gloriantur, hujusmodi inhumanitatis patrocinium susceperint, suumque omne studium in id contulerint, ut quodcumque lucrum ex mero mutuo, et licitum, et probandum et ab omni culpa immune esse, edoceant.

3. Cum autem hujusmodi habendi cupiditas hodiernus praesertim sit Laqueus Diaboli; ne populus nobis concreditus in interitum ac perditionem sese tam facile irretire patiatur, muneris nostri sollicitudo postulat, ut nonnulla de usuris atque illicitis contractibus in medium afferre curemus.

4. In hoc quidem positam esse putamus foenoris naturam atque indolem, ut quidquid ex mero mutuo plus exigitur, quam mutuo datum sit, usuram constituat. Unde constat, usuram esse quamdam debitae sortis accessionem ex sola tarda (1) solutione profectam. Quae sortis accessio dicitur etiam Lucrum, et ad indicandam alicui rei superadditam utilitatem a Plauto auctarium appellatur.

5. Noverint Christi fideles, omne lucrum ex mutuo, praecise ratione mutui, foeneratitium esse, atque illicitum. Usurae igitur crimen est, ut quis ex credita pecunia plus, quam revera dederit, sola ratione mutui exigat. Haec quidem perpetua fuit, et est Catholicae Ecclesiae doctrina, omnium

---

(1) Cicero de Oratore l. 9.

Conciliorum, Patrum, et Theologorum unanimi consensione firmata (1).

6. At non in pecuniae solum, sed in olei, vini, frumenti, et ceterarum frugum traditione foenus exerceri solet iniquissimum. Usurario quidem crimine peccat, si quis pro crediti frumenti modio abraso, modium inde cumulatum exigat; aut si quis in tradendo deterioris conditionis frumento paciscitur, optimum in messe reddendum; si quis pro credita pecunia supra sortem expectat aliquid in vino, oleo, frumento, aliisque id genus: si quis in mutuo tradito onus pactumque adjicit, ut pro ipso mutuum dante mutuatarius spondeat, et fide jubeat, ut apud ipsum emat, praesertim si quid sit vitiosum, et ultra pretium; aut invitus, vel minoris quid vendat; vel ut commodet, vel quod justum est, non repetat; vel ut fruges majori sumptu ad statum locum restitutionis tempore deferat. Ut autem uno dicam verbo, quidquid lucri, quidquid oneris in mutuo tradendo mutuatario imponitur, id periniquum est, atque usurae crimen foedissimum.

7. Hinc Parochus populum quam saepissime doceat, omne usurarum genus non modo Ecclesiasticis divinisque legibus interdictum esse, sed naturâ suâ turpissimum evadere; naturalique adversari aequitati, cum aequitatem in omni semper

---

(1) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 10. c. 4.

servandam, diligenterque custodiendam contractu e medio tollat, et deleat. Cur vero lucrum mutuanti debeas, profecto non liquet; cum res mutuo tradita per se infructuosa sit, ejusque dominium apud ipsum habeatur mutuatarium, cui illa perit, si perire contingat. Tribueretur sane mutuanti lucrum ex aliena industria profectum, quod iniquum est, et non ferendum. Non immerito igitur hujusmodi lucrum, quod usuram appellamus, leges divinae (1), et Ecclesiasticae, pontificiae constitutiones (2) atque Decretales damnant, poenisque feriunt gravissimis (3).

8. Cum vero haec praesertim nostra aetas ita sit negotiationi, Mercaturae et commerciis intenta, ut maxima pecuniae ratio circum undique longe lateque versetur; hinc tituli mutuo extrinseci contingere facile possunt, qui lucrum quoddam, seu compensationem ex mutuo licitam constituant. Si enim mutuans ex beneficii collatione lucrum amittat, vel damnum (4) sentiat, dummodo debitae non desint conditiones, tutâ ipse coscientiâ, quod sibi interest, totum exigere profecto potest. Hoc enim non est vendere usum pecuniae, sed dam-

---

(1) *Psal. 14. — Ezechiel. cap. 18. — Luc. 6.*
(2) *Alex. III. — Urban. III. — Innoc. III. — Bened. XIV. Ency. Vix pervenit — Concil. Eliberitanum — Nicaenum I. — Carthag. I. — Agathense — Lateran. V.*
(3) *Tit. de usuris jus Canon.*
(4) *V. Liguori Op. Mor. l. 3. n. 766.*

num vitare (1). Huc adde poenam (2), quam vocant conventionalem, quae autem non est licita nisi debitoris mora sit notabilis, et culpabilis, et lucrandi per hanc poenam absit animus, aut poena sit moderata et pro ratione culpae statuta. Recensetur etiam amittendae sortis (3) periculum, sed sub hac triplici conditione, ut periculum sit verum et extraordinarium; ut mutuans non teneatur mutuum concedere ex praecepto charitatis; ut mutuator non recuset assecurationem sortis, vel per pignus, vel per fidejussionem. Verumtamen omnes hortamur in Domino, ut, anteaquam quis ex credito mutuo aliquid lucri sibi percipere decernat, in hujusmodi contractibus ineundis, aut jam initis viros Ecclesiasticos, vel Laicos consulat doctrina, ac pietate spectatissimos; ut quod aequum est ediscat; nec, nimio cupiditatis studio lymphataque mente abreptus, dicat malum bonum, et tenebras lucem (4).

9. Utrum autem, nec ne, Lex Principis justus sit titulus aliquid percipiendi supra sortem, Confessarius, si hujusmodi subditorum confessiones excipere contingat, cum adhuc desideretur supremum Ecclesiae judicium, sese gerat juxta S. Poenitentieriae, Supremaeque Inquisitionis responsa, ex

---

(1) *S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.*
(2) *V. Liguori Op. Mor. l. 3. n. 767. 774.*
(3) *S. Thom. opus. 73. c. 6. — S. C. de Prop. fide 12. Sept. 1645. — S. Poenitentieria 1815. ad Epis. Bouvier — Concil. Lateran. V. — Vide Liguori opus. mor. lib. 3. n. 765.*
(4) *Isaia 5. v. 20.*

quibus patet, fideles, qui sortem aliis tradunt, ut ex ea fructus percipiant juxta tassam Legis Civilis, non esse inquietandos, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum, nec in foro Poenitentiae absolutione Sacramentali idcirco esse privandos, dummodo parati sint stare mandatis et definitionibus Sanctae Sedis (1).

10. Quoniam vero nemini arridet, se in toculionibus haberi, omnesque usurae nomen erubescant, cum quaestus ex mutuo, tamquam foedissimus, omnibus quidem legibus improbetur; insatiabilis habendi cupiditas ad diverticula invenienda, atque ad simulatas rerum species, quae fraudum essent integumenta, callide excogitatas, omne studium omnemque operam contulit. Hinc plurimi originem ducunt contractus, qui palliatam habent usurae labem.

11. Ac primo dicendum ducimus de illo, quem Mohatram appellant Hispani, Itali autem *stocco* quo quis mercem ab altero emit majori pretio, non soluta pecunia, cum pacto explicito, vel implicito, ut eidem eam retrovendat pretio minori, et numerata pecunia. Quem quidem contractum, cum sit deceptionis fraudisque plenus, damnavit Innocentius XI. (2)

12. Deinde sese offert contractus ille, qui antichresis dicitur, in quo usura utitur pallio pigno-

---

(1) Vid. opus. Dec. S. Poen. et sup. Cong. Sancti Officii edita ab anno 1822. usque ad an. 1833.

(2) Inn. XI. Prop. damn. n. 40. 22

ris. Cum vero pignus pro mera cautione ineatur, nec dominium trasferat; contra jus est ut Pignoratarius fruatur pignore, quod res aliena est. Hujusmodi contractus usurae vitio carere non potest, nisi adsit extrinsecus pignori titulus, ut jure percipiantur fructus.

13. Non secus dicendum est de contractu, quem vulgo appellant — a godere — in quo quis mutuo accipit pecuniam, et aliquid dare frugiferum ea obligatur Lege, ut mutuanti tandiu fructus cedant, quandiu pecuniam mutuo acceptam reddiderit. In hujusmodi contractu, si fructus ad imminuendam non vertantur sortem (1) quis creditorem a foeneratitio scelere liberabit? Nec legis commissoriae pactum a foenoris peste immune dicemus. Usurarium enim est manere (2), ut emptum, creditori pignus, cujus pretium creditam excedit pecuniam, nisi debitor eam stato tempore dissolvat. Quod quidem a pacto redimendi penitus distat. Sub hac enim redimendi lege emptio inita, venditio est, et jure consistit, nisi pretium ea laborat exiguitate, ut palliata potius usura dicenda sit.

14. Quid dicendum de censu? si fundus, in quo census constituitur, sit certus et frugifer; si coram testibus, et Notario pecunia numeratur; si fructus veram commercii conditionem non excedant, censum licitum dicimus, omnique usura ca-

---

(1) C. 1. 2. 8. de usuris — C. Cum contra de pignore.
(2) C. Significante de pignorib.

rentem. In censu tamen constituendo S. Pii V. constitutio servanda est diligenter (1).

15. Nec illa praetereunda est contractus species, quam cambium dicunt, magnum quidem usurarum involucrum. Christi fideles in cambiis ineundis quae, ut plurimum, foeneratitia sunt, consulant conscientiae suae; et abhorreant semper a cambio sicco, quod a foedissima lucri cupiditate inventum (2), S. Pius V. damnavit. Parochi, et confessarii cambiorum doceant, praesertim obliquorum, naturam, in quibus facilius solet anfractu quodam tegi, velarique foenus.

16. Quid de societatis contractu? Hunc licitum dicimus. 1. Si societas in negotiatione honesta versatur. 2. Si tantummodo ad Dominum spectet periculum sortis. 3. Si denique servetur aequalitas in dividendo lucro, pro ut quisque contulerit, sive de pecunia, sive de labore. In hujusmodi contractu, non servata secunda conditione, societas in eam, quam vulgo (3) ad caput salvum; non servata tertia in eam, quam Leoninam vocant, societatem vertitur: quae societatis species periniquae sunt et improbandae.

17. Quoniam vero contractus trinus (4), in quo simultanee cum una eademque persona concurrunt Societas, assicuratio sortis, ac emptio lucri, tam-

---

(1) S. Pius V. in Cost. cum onus 19. Jan. 1569.
(2) S. Pius V. in Cost. in eam 28. Jan. 1571.
(3) Const. Xisti V. Detestabilis avaritiae 21. Octob. 1586.
(4) V. Liguori opus. Mor. l. 3. n. 908.

quam plenus periculi habeatur, nec foenoris suspicione careat; cum autem opinio, quae licitum defendit, a Benedicto XIV. minus congruere Sixtinae constitutioni (1) dicatur; omnes in Domino hortamur, ut ab eo ineundo sese abstineant.

18. Sed, ne in re foeneratitia diutius immoremur, breviter aliquid de poenis, in usurae crimen pontificio jure irrogatis, attingemus. Publici foeneratores et notorii, turpissima inuruntur (2) infamiae nota, atque a sacris ordinibus (3) suscipiendis, a facultate (4) testandi, a sacramentorum susceptione, et, si impoenitentes moriantur quin satisfecerint, ab Ecclesiastica sepultura (5) prohibentur. Si vero clerici sint, ab officio etiam, et beneficio (6) suspenduntur. Nec quis notarius, nec quis proxeneta, nec quis testis foeneratiis sese implicent stipulationibus, nisi, ut ceteri hujusmodi iniquitatis fautores, velint poenis, inter quas recensetur (7) excomunicatio, per sacros canones statutis, multari.

19. Muneris nostri sollicitudo vehementer po-

---

(1) Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 10. cap. 7.

(2) Can. Infames 3. q. 7. et 20. eod. ex quibus causis infam. irrog.

(3) Can. Maritum. dist. 33. — Can. de Petro dist. 47.

(4) Can. quamquam 2. de Usur. in 6.

(5) C. quia in omnibus 3. de usur. et C. quamquam 2. eodem tit. in 6.

(6) Can. Clerici et per tot. 14. 9. 4. — Can. Episcopus et per tot. dist. 47.

(7) Clemens. l. 5. de usur. c. unic.

stulat, ut Parochos, omnesque moneamus Confessarios, in tam nefarium crimen uno animo insurgere. Si contractus sint foeneratitii, si lucra sint turpissima foenoris foetura, curent, ut haec restituantur, illi abrogentur. In contractibus initis, aut ineundis, qui quamdam usurae suspicionem inferunt, priusquam Confessarii absolutionem impertiantur, tum doctorum hominum consilio, tum librorum ope veritatem ediscant. Populum denique nobis creditum, ea, qua possumus, auctoritate hortamur, ut custodiat innocentiam, semperque in contractibus aequitatem (1) servet, seque ab injusto sordidoque abstineat quaestu; nec unquam quis fratrem suum circumveniat (2) in negotio. Morte enim morietur qui usuris opprimet fratrem (3) suum: et qui benefecerint, mutuumque dederint, nihil inde sperantes (4), erunt Altissimi filii.

20. Vigilis etiam opera danda est, ne in Dioecesi nostra increbrescat, sed ut, si fieri possit, illud deleatur criminis genus, quod in fidelibus ne nominandum quidem monebat Apostolus. Impudicas enim abominationes in hac tanta temporis nequitia ad eam ingemiscimus devenisse impudentiam, ut fere ante omnium oculos versari, et miseram praesertim juventuti pestem afferre videamus.

---

(1) Psal. 36. v. 37.
(2) 1. ad Thess. 4. v. 6.
(3) Ezech. 18. v. 13.
(4) Lucae 6. v. 35.

Quidquid igitur poenarum sacri Canones, Concilia, apostolicae Constitutiones, et hodiernae leges hac super re decreverunt; ea, qua valemus, auctoritate, remediis etiam, quae sapiens dictat prudentia, adhibitis, id omne ad tantum malum evercendum insumemus: et, si qui reluctante contumacia extiterint — trademus satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi (1).

21. Animarum curatores sollicitos vel maxime esse volumus in eos, qui hujusmodi vitio turpiter diffluunt. Nec patiantur, gregem suum, quoad poterunt, tam pravum scandalum pati. Si quos non pudeat, viam his criminibus foedatam persequi; eos Parochus paterna adhortetur charitate, praesertim qui concubinarii sunt, aut qui vetitis indulgent consortiis, ut a damnationis tramite recedant. Si vero non resipuerint, ter eos Parochus juxta Canones moneat: si canonica etiam monita spreverint; tum ipse ad nos eorum nomina deferat.

22. Si qua mulier meretricium facit, tum Parochi, tum Vicarii foranei de ea nos reddant certiores. Quae autem ad meretricandum advenerit, eam Vicarius Foraneus a suae jurisditionis locis statim ejicere non omittat. Sciant caupones, tabernarii, aliique diversoriorum heri, sese excipere eam posse tantum itineris causa per unius diei

---

(1) ad Cor. 5. v. 6. — Concil. Trid. sess. 24. c. 8. de Matr.

spatium, remota omni peccandi occasione, sub gravi poena pro ratione culpae irroganda.

23. Eas insuper, quas sacri Canones statuerunt, poenas gravissimas incestuosi, et (1) defloratores luent. Parochus vero, si in Paroecia sua lenocinium facientes compererit, quoniam nefaria haec ars eo intendit, ut impuri foveantur mores, ac pudicitia in summum vocetur periculum; hujusmodi rem, nulla interposita mora, ad nostrum Vicarium Generalem deferat.

---

(1) Concil. Trid. loc. cit. — Leo X. Const. Primitiva — S. Pius V. Const. cum primum — Paulus IV. Const. Sanctissimus.

CAPUT XI.

DE TESTAMENTIS ET LEGATIS PIIS.

1. Cum multa per sacros canones summosque Pontifices pro Reipublicae bono sapienter inventa atque instituta sunt; tum certe non minus praeclarum, quam quod Parochos, a gravi morbo laborantibus rogatos, posse juxta juris normam eorum (1) testamenta condere, decreverint: ne ultimae plurimorum voluntates, in agris praesertim ac in oppidulis, quae tabellione carere solent, plerumque disperirent. Haec sapientissima canonum constitutio eo etiam spectat, ut tutissimus piis fidelium legatis ineundis pateret campus; eorumque conscientiae hac esset expeditissima ratione consultum.

2. Hinc Tridentina (2) Synodus omnes pias fidelium institutiones nostrae curae demandavit: nosque sacri patrimonii vindices, dispensatores, custodesque legatorum constituit. Quare, tum ut in testamentis rite condendis tuta a Parochis prematur via, tum ne pia, jam constituta, fraudentur legata, pro munere nostro in re tanti ponderis haec servanda statuimus.

---

(1) Cap. Cum esses 10. de Testamen.
(2) Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. de Refor.

3. Noverint Parochi sibi in tota pontificia ditione ab Alexandro III. factam esse condendi testamenta facultatem, si sint a morientibus rogati (1).

4. Sed ex hodierno motu (2) pontificio cautum est, ne Parochi hac utantur facultate, nisi in valitudinariis, vel cum personis morbo laborantibus et vita functis in agro, vel in oppido, a quo ultra tria passuum millia dissita sit publici tabellionis sedes.

5. Ordinarium insuper testatoris confessarium ea, qua Parochus, gaudere facultate non ambigitur (3).

6. Ne vero testamenta sint irrita, tum Parochus, tum ordinarius testantis confessarius duos adhibeant testes, qui ex viris, non ex mulieribus deligendi sint.

7. Si autem Parocho, aut ordinario testatoris confessario deficientibus, Parochi Cappellanus, aut quivis confessarius testamentum, aegro rogante, condat, tunc, ut illud firmum sit, tres (4) testes requiruntur.

8. Coram Sacerdote et testibus suam ultimam testator aperiat voluntatem, nec necessariam haeredis institutionem obliviscatur.

Omnia scribat Sacerdos, coramque testatore et testibus scripta perlegat; et quidquid immutandum

---

(1) Alex. III. Cap. Cum esses 10. et cap. Relatum 11. de test.
(2) Regolamento legislat. di Gregorio XVI. 36.
(3) Bened. XIV. Inst. c. 105.
(4) Bened. XIV. loc. cit.

testator innuit, statim immutet; tabulas inde coram omnibus claudat, suoque signo muniat.

9. In omni hujusmodi peragendo negotio, caveat vel maxime Sacerdos, ne quid fraudis, ne quid improbae suspicionis irrepat.

10. Sacerdos sub poena suspensionis infra octiduum a testamento condito, una cum testibus publicum conveniat Notarium, qui testamentum illud in acta referat.

11. Cum autem substantialis error gravissima posset inferre damna; legitimam hujusmodi testamenti formulam dabimus in appendice (1).

12. Nunc cum nonnihil de legatis piis attingendum sit; haec Concilii Romani verba attendenda sunt diligenter. — In legatis piis, et quae ab aegrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque solent, ut fraudes litesque evitentur, testes etiam eodem numero adhibeantur, coram quibus testator, se quaedam ad pias causas eroganda, suo prout Parocho, seu Confessario, injunxit, ita velle declaret; talique declaratione, pia testatoris dispositio suum semper sortiatur effectum. (2) —

13. Libera cuique sit aut aliquid pro Ecclesia legandi, aut eam haeredem instituendi facultas. Ab hac vero quemquam libertate quoquo modo praepedire aut deterrere audeat nemo, sub acri divini et ecclesiastici judicii ultione subeunda.

---

(1) Vide Appendicem N.

(2) Concil. Rom. tit. 20. cap. 1.

14. Notarii et ceteri, qui vel testamenta, vel alias scripturas de piis legatis condiderint vel exceperint, intra mensem a die rogationis si inter vivos fuerit actus, vel a die obitus testatoris, si fuerit causa mortis, nobis et legatariis denuncient, quidquid ad causas pias legatum sit, sub poena solvendi decem aureos, et sub censuris, si id intra tres menses non praestiterint.

15. Caveant confessarii, ne testatorem, consanguineis ac affinibus pauperibus praeteritis atque omissis, ad Ecclesiam haeredem instituendam alliciant, cum non quaerat Deus, sibi de filiorum parentumque fame dona conferri. Si a testatore relinquatur Episcopus supremae suae voluntatis executor; Vicarii foranei, vel Parochi videant, ne quid de patrimonio dispereat, Episcopumque statim de re certiorem faciant.

16. Onera adimplenda, Missaeque quoad numerum, diem, Ecclesiam, altare celebrandae sunt, prout testatores demandarunt.

17. Si fundum pro Missis celebrandis constituerit testator, et nec Missarum numerum, nec eleemosynam pro unaquaque Missa praescripserit; non haeredibus erit, sed nobis hac super re decernendum.

18. Si quid ex jure aut facto piam testatoris praescriptam voluntatem executioni mandari impediat; non ea proinde caduca (1) fit, sed res statim ad nos deferatur.

---

(1) Cap. Tua nobis 17. de testam. — Clementin. Quia contingit — S. C. C. in Soran. 25. Jun. 1620.

19. Haeredes quacumque ex causa Missarum numerum (1) proprio imminuere arbitrio, nefas semper sit.

20. Nulla Ecclesia, nullusque pius locus, (2) legata, quae perpetua Missarum, aut alia quaeque onera praeferunt, excipere audeat, nisi nostra prius in scriptis facultas accesserit.

21. In quovis sacrario pendeat tabella, ubi singula annotentur ejus Ecclesiae onera. Huic autem tabellae respondeant libri pro onerum satisfactione inscribenda. Alius itidem liber sit, ubi illorum satisfactio inscribatur onerum, quae vel ex testamentis, vel donationibus, vel legatis fuerint temporaria; quorum satisfactio, nisi fuerit stato tempore praescripta, plus anni dimidio non protrahatur.

22. Quotannis mense januario videant Vicarii Foranei de satisfactione onerum anni superioris; nosque de re diligenter certiores reddant.

23. Qui Defunctorum sibi vindicant et detinent oblationes, et eas Ecclesiis tradere cunctantur; se suos spoliare (3) fratres immortali gloria, ac in ecclesiasticas (4) incidere censuras noverint.

---

(1) Clementin. Quia contingit de Religiosis domibus.

(2) S. C. Conc. in Celsonen. 22. Julii 1741.

(3) Job. 19. v. 9.

(4) Concil. Carthagin. IV. Can. 95. — Concil. Vasen. Can. 4. — Concil. Arelaten. Can. 47. — Concil. Agathen. Can. 4. — Concil. Matisconen. 1. Can. 4.

CAPUT XII.

DE FUNERIBUS ET SEPULTURIS.

—

1. Ea est Ecclesiae Catholicae erga Fideles sollicitudo, ut, postquam illos Baptismatis Sacramento genuerit Deo, et in omni vitae curriculo contra Daemonis impetus, mundique nequitias salutaribus munierit praesidiis; etiam vita functos, sine singularis suae charitatis muneribus relinquere, Mater pientissima, non patiatur. Dum enim exanime filiorum suorum corpus, quod fuit templum Spiritus Sancti, religioso ritu, et honore sepulcri honestandum curat; eorum animas piaculari cruciatas igne omni suffragiorum genere ita juvat, ut eas quamprimum Angeli, omni expiatas labe, in æterna perducant tabernacula.

2. At robur, et aes triplex circa pectus est illis, qui hanc Ecclesiae Catholicae in demortuos filios miserationem, non solum tamquam inanem putant, sed barbaris deteriores gentibus, quibus ex intimo tantum naturae (1) dictamine semper defuncta corpora ritibus, sepulcroque decorare mos fuit, tamquam superstitiosam etiam contemnere, et irridere non erubescunt.

---

(1) Alexan. ab Alexan. Genial. dier. lib. 3. cap. 7.

3. Nos vero, qui ex fide credimus, oportere, corruptibile hoc induere incorruptionem, ac mortale hoc induere (1) immortalitatem, et insuper nec inani tenemur spe, fore quidem, ut rapiamur obviam Christo (2) in aera, semper una cum ipso regnaturi in Coelis, non solum ullam mortuo gratiam non esse (3) prohibendam, ac illius sepulturam minime despiciendam (4) profitemur; sed ut statutae de funeribus, et de sepultura leges rite recteque serventur, haec edicenda duximus.

4. Parochus in cujusque fidelis tum agone, tum (5) morte, ad excitandam populi erga illum pietatem, signum aeris campani edendum curet. Post vespertinam usque ad matutinam salutationem Angelicam hujusmodi signum interdicitur. In baptizati parvuli obitu sonitus sit festivus, si puer septennium non expleverit.

5. Mulierum cadavera a foeminis, virorum a maribus, ecclesiastici cadaver per virum, si fieri poterit, ecclesiasticum induantur. Sacris autem ecclesiastici viri cadaver, pro diversa ordinum ratione, vestibus indutum in funere, et, si Sacerdotis illud sit, verso ad Altare majus capite, exponi, Ecclesiae ritus praecipiunt. Laici illius, cui nomen dederunt, sodalitatis habitu indui poterunt.

---

(1) 1. Corint. cap. 15. v. 53.
(2) 1. ad Thessalon. 4. v. 16.
(3) Eccl. 7. v. 37.
(4) Eccl. 38. v. 16.
(5) V. Rit. Rom. de exequiis.

Omnes vero decenti tegantur veste. Prope cadaver et domi, et in templo, assiduus sedeat custos, qui vel die, vel nocte numquam cum foeminis ad agendas simul excubias socielur.

6. Parochus nemini det offensionem, ne profani homines, sacrum, ejus culpa, vituperent (1) ministerium. Ipse funus, ipse dirigat (2) exequias: sed quidquid cupiditatis, et avaritiae suspicionem praebere potest, vitet diligenter. Nihil muneris (3) petat, nihil cum defuncti haeredibus de funeris sumptibus paciscatur; nec antequam domo efferatur aut humetur cadaver, fidejussiones pro emolumentis funeris persolvendis, cum id (4) simoniam oleat, reposcat; nec ea mente, ut pecuniam (5) extorqueat, cadavera aut domo abducere aut Sepolturae tradere cunctetur sub poena suspensionis.

7. Ea sit pompa funeris, quam defunctus sive testamento, sive quovis alio modo sibi praescripserit: aliter pendeat ab Haeredum (6) voluntate, quorum etiam arbitrio relinquatur quota cereorum

---

(1) 2. ad Corinth. 6. v. 3.

(2) S. C. C. 28. Feb. et 26. Martii 1711. — S. R. C. 2. Sept. 1841.

(3) Concil. Nannetense c. 6. — Concil. Meldense can. 72. cap. 8. q. 13. — De Simon. Justinian. Imp. Novell. 53.

(4) Cum satis 8. — cum in Ecclesiae Corpore 9. de Simonia — Bened. XIV. Inst. 105. num. 58.

(5) Vide Christian. Lup. in Dissert. de Simonia cap. 12.

(6) S. C. Ep. in Mont. Pol. 1581.

pompae adjungat sub poena Candelae amittendae. Hoc demum praetereundum non est, cadavera nec a loco, ubi quis decessit, sine licentia Parochi; nec post horae dimidium ab occasu, nec ante ortum solis sine nostra venia efferenda (1) esse.

9. Missa celebranda est, nisi secus necessitas postulet, praesente cadavere. Si viginti quatuor horae ab obitu lapsae non fuerint, cadavera sepulturae non tradantur, nec a domo efferantur nisi post decem saltem horas a morte. Qui aut vulneribus, aut repentino morbo, aut suffocatione obierint, ac etiam puerperae, nisi post horas quadraginta non humentur sub poena (2) suspensionis, ab Ecclesiae Rectore incurrenda. Qui vero violenta morte decesserunt, nisi prius seu nostra, seu laica Curia de mortis causa inquisierit, sepulcro non mandentur. Si ministri Curiae plus aequo cunctentur, cadaver ecclesiastico ritu sepeliatur: quod sepultum sine nostra in scriptis venia, aut, si Cadaver sit viri Ecclesiastici, sine S. Congregationis Immunitatis (3) facultate, e sepulcro non eruatur, sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda. Inspectio, seu autopsia cadaveris semper extra locum Sacrum, et immunem peragatur, remotis pueris et puellis, ac curiosulis, qui scandalum pati possunt.

---

(1) S. C. Conc. 15. Martii 1704.
(2) S. R. C. 22. Junii et 13. Julii 1673.
(3) Vide Monacelli T. I. tit. 6.

10. Parochus summo eos studio adimpleat ritus, quos Rituale Romanum tum in funeribus, tum in cadaverum tumulatione praescribit. Caveat etiam, ne funebris Laudatio habeatur in sua Ecclesia, sine nostra in scriptis venia. Parochi vero pietas eo, quo decet modo pauperum cadavera gratis ad Ecclesiam deferat, gratisque (1) tumulet. Ne autem quisquam sine unius saltem sacrificii expiatione sepulturae mandetur, Parochus ipse aut gratis Sacrum faciat, vel curet, ut pro paupere defuncto, etiamsi hic advena, et peregrinus sit, suffragiis juvando, per homines pios eleemosynae colligantur.

11. Locus, ubi Fidelium tumulantur Cadavera, sacer esto. Cum vero pauciora in Dioecesi nostra fuerint Coemeteria extructa, hortamur oppidorum comitia, ut praecipientibus ea legibus obtemperent. Coemeteria autem non sunt, nobis inconsultis, extruenda. Circumundique sepiantur muro herbisque, vepribusque purgentur: sint benedicta, sint clausa, sint in probati viri custodia. Attollatur in medio Sanctae Crucis signum. Habeatur sepulcrum pro pueris, qui baptizati ante septennium obierunt: sit aliud pro viris Ecclesiasticis. Mares seorsim a foeminis tumulentur. Si dubitatur, an Infans sit baptizatus, humetur in loco (2) sacro: si

---

(1) Ritual. Rom. de Exequiis §. Pauperes.
(2) Gloss. in Can. Ecclesiae de Consec. dist. 1.

decessit sine baptismo, non in loco sacro, sed prope Coemeterium vel templum terrae mandetur.

12. Cum Ecclesia Paroeciae tumulandi jure gaudeat, haec circa extructa, vel extruenda in Ecclesiis sepulcra animadverti volumus. Nova in Ecclesiis sepulcra sine nostra in scriptis facultate non (1) condantur: nec prope altaria extruantur, sed ab altaris eorum ostium gradibus, et a suppedaneis distet trium saltem cubitorum (2) spatio; secus vero Altaria sint interdicta, donec sepulcrum illud expurgetur, atque obstruatur. Nullum sit, nisi pro Ecclesiasticis viris, in Presbyterio et Cappellis sepulcrum: nec Ecclesiae paries aut pavimentum ad cadaver humandum (3) effodiatur. Sint sepulcra circumsepta muris, et camerato opere (4) extructa: ita vero sint clausa, ne teter odor Clerum, populumque molestia afficiat, et a divinis avertat: nec in sepulcri lapidibus inscriptiones, tituli, stegmata insculpantur, sine nostra venia, quam numquam, nisi pro inscriptionibus, et titulis latinis dabimus. Quatuor ut antea N. VIII. diximus sint in Ecclesia pro fidelium gradu, sexu, ac aetate discreta sepulcra.

---

(1) S. C. C. in Sulmonem. 10. Maji 1727.

(2) Can. Praecipiendum 13. 9. 2. — S. C. C. in Mylevitana 7. Maji 1707.

(3) S. Pius V. Const. cum Apostolatus — S. C. C. in Syracusana 10. Junii 1615.

(4) S. Pius V. in Laudata Const. §. 8.

quarta funerali Parocho, in cujus paroeciae finibus ille decessit. Famuli, et (1) famulae apud heros decedentes, in Ecclesia Parochi, in cujus Paroecia obierunt, tumulentur.

14. Si quis tumuletur extra propriae Paroeciae Ecclesiam, etiam apud Regulares; debetur defuncti Parocho canonica pars, seu quarta intorticiorum, et candelarum, quae circa feretrum in itinere ad Ecclesiam, in funere ipso, et Altaribus accensae (2) sunt. Omnia vero debentur defuncti Parocho, si ex domesticorum, vel haeredum voluntate hujusmodi tumulatio fieret in alia Paroecia (3).

15. Canonici, nisi sepulcrum sibi elegerint, nec in avita, nec in comuni, sed in peculiari sepultura in propria Ecclesia tumulandi (4) sunt. Idem dicendum de aliis Sacerdotibus, et Clericis, pro quibus in decentiori Ecclesiae loco sepultura (5) extruatur.

16. Qui cadavera inhumata relinquunt, aut sic relinqui sinunt hac mente, ut arescant; si viri Ecclesiastici sunt, in sacris constituti, suspensionis poenam ipso facto incurrant; si vero sunt Clerici in minoribus, vel Laici in excommunicationem la-

---

(1) S. C. C. 13. Feb. 1666.

(2) Con. Trid. sess. 25. cap. 13. — Conc. Rom. tit. 8. cap. 5. — Benedict. XIII. Const. Romanus in appendice ejusdem Concilii.

(3) Statut. Cleri Romani.

(4) S. C. Episcop. in Forosempron. 1. Sept. 1690.

(5) Conc. Mediolan. IV. §. in Choro.

tae sententiae incidant nobis reservatam. Anathemate etiam nobis reservato plectuntur qui e sepulcris cadaveris etiam partem in superstitiosum finem eripere audebunt.

17. In singulis Dioecesis nostrae oppidis sodalitium sub titulo Misericordiae per Parochos instituatur, cujus sodales cadavera praesertim pauperum ad Ecclesiam deferre teneantur. Curent etiam Parochi, ut vespillones sint sumptu publico conducti.

18. Defunctorum etiam nomina, et cognomina, annus, et dies, qua quis decessit, templum ubi quis sepultus est, Ecclesiae Sacramentorum susceptio, aut causa, cur eo quis praesidio caruerit, in peculiari codice a Parochis inscribantur.

19. Si quis vel in Ecclesia, vel in Coemeterio quemquam ex iis tumulet, quibus denegata est Ecclesiastica Sepultura, in excommunicationem incidit (1), quam poenam etiam sancimus in comitantes, canentesque Clericos, ac in caeteros, qui feretrum gestant, partemque habent ad eorum funera. Infideles igitur, Apostatae, inter quos (2) numerantur, qui scriptis atheismum, deismum, materialismum docent, Haeretici, Schismatici, palam excommunicati, denunciatique, si ante obitum non fuerint excommunicatione soluti; qui non ex insa-

---

(1) Clem. I. de Sepultur. v. 8.

(2) Vide Scavini Theol. Moral. de privatione Sepulturae Eccl. in notis n. 3. edictione 6. Novariae.

nia mortem sibi consciscunt, duellantes, publici (1) foeneratores, filii rebelles Ecclesiae, qui cum notorie sint excommunicati, recusant se retractare, et scandalum (2) auferre; caeterique, quos Rituale Romanum recenset, nec in Ecclesia, nec in Coemeterio, nec in alio loco sacro humari poterunt: qui si fuerint in loco sacro sepulti, e sepulcro eruantur et in loco non sacro procul ab Ecclesia terrae mandentur. Parochi vero nominem ex his profanae sepulturae tradant, nobis inconsultis.

20. Cum Summus Pontifex, vel Episcopus e vita decedit, tum Civitatis, tum Dioecesis Ecclesiae, una hora, dent moestitiae signum: Omnia Canonicorum collegia, omnesque parochiales Ecclesiae funebria justa persolvant cum Missa cantata. Inde volumus Romano obtemperandum esse Concilio, quod — in universis cujusque Civitatis et Dioecesis Cathedralibus, seu receptitiis Ecclesiis, praeter solemne anniversarium pro ultimi Episcopi defuncti anima, in ejus die obitus celebrandum, alterum etiam per singulos annos agendum decrevit in perpetuum pro omnibus propriae Dioecesis Episcopis intra fidelium defunctorum (3) octavam Capitulum etiam pro Canonicis defunctis intra praedictam Octavam Missam solemnem cum exequiis celebret. Quemquam denique Canonicum, et Pa-

---

(1) Cap. Sacris 12. de Sepult.
(2) Vide Scavini loco citato.
(3) Conc. Rom. tit. 15. cap. 5. — Caeremon. Episc. lib. 2. c. 38.

rochum hortamur, ut pro predecessoris sui anima, die ejus obitus anniversario sacrum faciat.

21. Ad primam vero noctis horam aeris campani edatur signum, ut fideles pro defunctis orare meminerint: sancta enim, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis (1) solvantur. Quisquis igitur defunctorum animas eleemosynis, sacrificiis, orationibus, omnique suffragiorum genere relevare satagat, ut hanc sibi mereatur benedictionem: Faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis (2).

---

(1) Machab. lib. 2. cap. 12.
(2) Ruth. cap. 1. v. 8.

CAPUT XIII.

DE FORO ECCLESIASTICO, ET DE VICARIO GENERALI.

—

1. Ecclesia tum aperiendae claudendaeque portae Caeli, tum etiam, cum ipsa sit societas cumulate perfecta, juris dicundi puniendique gaudet potestate. Nonne pro Christo, cui data est a Patre omnis potestas in Caelo et in terra, legatione fungitur Ecclesia? Oportebat enim, ut ipsa disponeret orbem terrarum in aequitate et justitia; et in directione cordis judicium (1) judicaret — qui habet non modo aliquid sapientiae, sed etiam sanitatis profecto videt, Ecclesiam, non humano jure, sed divino, hujusmodi potestate frui. Quid unquam sibi volunt haec apostoli verba — Si amplius gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem, et non in destructionem, non (2) erubescam — Praedixi et praedico, ut praesens, et nunc absens iis, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero, iterum (3) non parcam — In promptu habentes ulcisci omnem (4) inobedientiam — Ne-

(1) *Sapien. 9. v. 3.*
(2) *II. Cor. 10. v. 8.*
(3) *II. Cor. 13. v. 2.*
(4) *II. Cor. 10. v. 6.*

scitis quoniam Angelos judicabimus? quanto magis (1) saecularia — Haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam (2) Dominus dedit mihi — Et gladii illi duo, (3) quos post coenam Apostolis jussit Dominus, ut sibi sumerent, nihil aliud videntur praemonstrare, quam illam duplicem, sacram civilemque jurisditionem, quae ad res tum divinas, tum humanas rite recteque moderandas, futura fuisset Ecclesiae.

2. Hinc necesse fuit omnino, ut hujusmodi potestas ad Apostolorum deflueret successores. Quid aliud sonant haec Christi Domini verba? — Ego vobiscum (4) sum usque ad consumationem saeculi. Et quid illa apostoli? — Hujus rei gratia (5) reliqui te Cractae, ut ea, quae desunt, corrigas — Jure igitur meritoque discipulus ille, S. Clemens, (6) qui cum Apostolo laboraverat in Evangelio, ad Jacobum scripsit — Si qui fratres negotia habent inter se, apud cognitores saeculi ne judicentur; sed apud Presbyteros Ecclesiae, quidquid est, illud dirimatur; et omnino obediant statutis eorum.

3. Cum autem Christus Dominus caelestis terrenique imperii jura (7) commiserit Petro; divina

---

(1) I. Cor. 3. v. 6.
(2) II. Cor. 13. v. 10.
(3) Lucae 22. v. 38.
(4) Matth. cap. ultimo
(5) Ad Titum 1. 5.
(6) Epist. 1. Jac.
(7) Can. Omnes dist. 22. — Bonifac. VIII. in Extr. de Majoritate et obedientia.

haec certe fuit voluntas, ut Petrus, Petrique successores tantum universi Christiani gregis existerent, et forent judices et magistri. In concilium vero vocati, et ad traditam sibi gregis portionem missi, veniunt etiam in partem sollicitudinis et auctoritatis Episcopi, qui et ipsi a Spiritu Sancto positi sunt (1) regere Ecclesiam Dei. Hinc a primis Ecclesiae temporibus — penes Episcopos stata erant judicia rerum etiam civilium (2) Dioecesis suae — Cum autem postea nimis increbrescerent hujusmodi negotia; contigit, ut Episcopi Vicarios sibi adsciverint adjutores; partemque Episcopalis jurisditionis illis demandaverint. Hinc quisque intelligit, qua reverentia, quo honore, qua obedientia fideles populi Episcopi potestatem curiamque prosequi quidem atque amplecti debent. Ut autem in nostra Curia ea, qua decet, ratione, prudentia, et charitate judicia exerceantur, hic nonnulla observanda statuimus.

4. Cum Vicarius Generalis nostra fungatur jurisditione; eidem, tamquam nobis, reverentiam et obedientiam ab omnibus praestari jubemus; eumque praerogativis, honoribus, privilegiis, quae vel de jure, vel ex consuetudine sunt, honestamus. Reliqui etiam judices, si qui sunt, caeterique Curiae Ministri, in eo, quo decet, honore habendos esse praecipimus. Hi autem omnes neminem eo-

---

(1) Act. 20. v. 28.
(2) Calmet Commen. in cap. 6. Ep. 1. ad Corinth.

rum, qui, sua acturi negotia, ad Curiam nostram accedunt, laedere audeant, neminem contemnant, ac vexent; sed singulos benigne excipiant; patienter audiant; et, quoad fieri possit, quam citissime negotiis absolvant, praesertim pauperes, atque rudes.

5. Antequam Cancellarius, ceterique Curiae nostrae ministri ad suum gerendum munus accedant, de officio omni fide, omnique diligentia obeundo et de arcano in Causis praesertim S. Inquisitionis prorsus custodiendo, juramentum coram nobis emittant. Omnis autem directa vel indirecta in hujusmodi causis Arcani violatio, plectitur excommunicatione (1) latae sententiae.

6. Vicarius Generalis iis, qui stati sunt, diebus statisque horis ad jus dicendum accedat. Feriatis autem diebus forum conticescat, sed non pro causis iis, de quibus sacri canones (2) decerni voluere. Cum praeterea non ut foveantur, sed ut componentur dissidia institutum est ecclesiasticum Tribunal; Vicarius Generalis omnia dissidia, litesque praesertim inter consanguineos et propinquos, ea, qua poterit, ratione amice componere adnitatur. Quod si id sibi non contigerit; occurrat litigantium artibus; caveat, ne campum det fallaciis; sed ea, qua par est, brevitate lites saltem dirimere curet. Opituletur etiam pupillis, veluti pater; tueatur

---

(1) Clem. I. §. Porro.
(2) Cap. Conquestus de Feriis.

viduas ; vi potentis oppressos allevet ; ita vero hujusmodi tutelae consilio obsecundet, ut injuriam non patiatur justitia.

7. In litibus agendis christianam servandam volumus charitatem. Nemo dicteriis adversarium feriat : nemo maledictis et conviciis in eum saeviat. Si quis in id peccaverit, et, monitus ter quaterque, non resipuerit, nostro pulsus e foro, causas agere in curia nostra interdicatur. Qui ad defendendas pauperum causas constituitur, sedulam det operam, ut clientes eripiat de manu superbi, et gratis solerti patrocinio inopes juvet.

8. Cum facere judicium et justitiam, salebrosa res sit, ac valde nodosa, plurimisque difficultatibus obnoxia ejus administratio ; hinc Vicarius Generalis studeat, ut omnes curiae ministri ambulent in timore Domini ; et suo quisque diligenter fungatur officio. Ea ipse sit in miseros, qui carcere detinentur, charitate, ut necessariis vitae praesidiis numquam careant. Ad eos pium ac doctum, qui et auctoritate et existimatione apud ipsos plurimum valeat, saepe Sacerdotem mittat, ut tum verbi Dei declaratione, tum Sacramentorum administratione in eorum cordibus, qua carent, accendat charitatem. Cura et ipsi sit in Carceris custodem atque in ceteros satellites inquirere, ut suum quisque munus diligenter exerceat. Videat etiam, num nimia illorum indulgentia sit sceleribus fomentum, an crudelitas sit in Carcere detentis supplicium.

9. Advigilet etiam Vicarius Generalis, ne quid Curiae Ministri ultra taxam accipiant, ad quam reformandam, ab Apostolica Sede facultatem impetrabimus; quae sit in nostra cancellaria e pariete pendula ante omnium oculos. Sit insuper procul a curia nostra vel levissima quaeque avaritiae suspicio: unde nihil alio exigatur nomine sub poena dupli subeunda. Caveant etiam, ne ipsorum dextera, plena muneribus, fiat dextera (1) iniquitatis. Rejiciant igitur cujuscumque generis munera, quae subvertunt verba justorum (2).

10. Cum Vicarius Generalis in partem gregis pascendi nobiscum vocatus sit, in id praesertim incumbat, ut tum in clericis, tum in laicis crimina non solum vindicet, sed ea vigili studio ac conatu, quod maximum est, praecaveat. Si vero noverit, in sacros Canones, in Apostolicas constitutiones, in Concilii Tridentini decreta, in hujus Synodi sanctiones, ac demum in Dei cultum, morumque disciplinam peccatum esse; diligentem criminum agat inquisitionem, ac indictas scelerum poenas, non hominum respiciens personam, aequa judicii lance exigat. Ipse enim sit recti tenax, et nihil aliud prae oculis habens, quam Dei gloriam, justitia duce et comite, erecto pergat animo, et irrumpat iniquitatem (3).

---

(1) Psal. 143. v. 8.
(2) Exod. 23. v. 8.
(3) Eccl. 7. v. 6.

11. In re criminali, cum disciplinae ratio adhibenda sit, antequam ulla reus poena multetur, delatorum, testiumque fides, quae pro temporum iniquitate vel mendax fere semper, vel saltem suspecta habenda est, etiam atque etiam spectetur, oportet.

12. In judiciis autem, quae criminalia vocantur, aut causa est mixti fori, et reus est laicus; tunc si nobis ea suscipi videatur, in conficiendo publicandoque processu, et in poenis irrogandis servetur juris ordo, qui habetur in edicto eminentissimi principis a secretis Gubernii die 5. Novembris 1831. edito: aut causae sunt, quae ad Ecclesiasticum tantummodo forum spectant; tunc judicandas volumus juxta canones, ex quibus, eae, quae irrogandae sunt, poenae hauriantur, quae tamen clementia et humanitate temperandae sint, cum potius correctio, quam vindicta inspiciatur.

13. Cancellarius praeterea Episcopalis caveat, ne libri, acta, instrumenta, scripturae, quae tum ad forum, tum ad ecclesiastica beneficia, et Ecclesiae jura spectant, dispereant, aut a Tabulario efferantur. Quae omnia omni diligentia ipse custodiat, et suis quaequae distincta locis pro rerum varietate et discrimine, habita etiam ad annos ratione, cum epigraphe in tergo componat et in pulchrum digerat ordinem.

CAPUT XIV.

DE VICARIIS FORANEIS.

—

1. Quasi communis Pater (1) Sacerdos est. Curam igitur omnium gerat, oportet, sicut et Deus cujus Sacerdos est. — Hinc etiam — volebat Apostolus unicuique suam curam (2) et sollicitudinem assignari. — Ita enim labor levior futurus erat, et subditi majori cum diligentia gubernandi erant. — Provide igitur in Pagis et Oppidis ab Episcopali sede dissitis instituti sunt Vicarii Foranei, qui in partem administrationis, et jurisditionis adsciti, Nobis adjutricem praebeant operam, vel ut quisque in officio se contineat, vel ut amice componantur controversiae, seu praestituto ordine jus suum in minoribus causis unicuique tribuatur; vel denique ut leges inviolate atque aequiter ubique serventur.

2. Ipsorum itaque partes sunt, vigilare an Templa reparatione, ornatuque indigeant: an vasa sacra, et apparatus in sanctis Mysteriis deceant; an sacra solemnia, et processiones decore, et ordinatim fiant. Vicarii etiam Foranei moneant Rectores, officiales, custodes, aedituos, ut suo juxta regulas

---

(1) Chrysost. in Epist. ad Timoth.
(2) Idem in Epist. ad Tit.

muneri satisfaciant, renitentes vero nobis denuntient. Inspiciant, an piae dispositiones juxta testatorum placita adimpleantur; an quid in officiis, in funeribus, in matrimoniis inconcinne eveniat. Missarum onera, accitis ad se distributive libris, ab Octobri ad Januarium, annuatim recognoscant. Semel, vel pluries in anno singulas visitent Ecclesias, Oratoria, nec non archivia et inventaria in eis fideliter servanda. Edicta, sacrae Visitationis Decreta, definito spatio, executioni mandanda pro viribus urgeant.

3. Quae statuta sunt de vita et honestate Clericorum saepius recogitent, et a cunctis observari satagant; eos moneant, corripiant, consolentur, consiliis juvent. Non tantum vero defectus, vel incorrectam pravitatem ad nos deferant, sed etiam virtutes, benefacta, charitatis opera manifestent in bimestri relatione.

4. Videant praecipue, num Parochi in conferendis Sacramentis, in Evangelio et Catechismo explanandis, in deviis ad salutem reducendis, in aegrotis usque ad exitum juvandis sedulam impendant operam; itemque num Paroeciae suae perpetuo adsint; num ejus urbanos et rusticos fundos, jura, et bona diligenter custodiant. Si quis inter Parochos morbo laboret, ejusque animae rationibus sit consulendum, eum statim conveniant, Sacramentis muniri, et Sacerdotem, qui ipsi et Paroeciae adsistat, praeficere solicite curent. Ubi e vita excesserit, obitum nobis denuntient, adnotan-

tes etiam, quae scitu necessaria, et utilia reputabunt: res Ecclesiae accurato inventario describant; atque in tuto reponant libros, scripta, et documenta, monitis haeredibus de gravi culpa ac Excommunicatione incurrenda, si rem quamque Ecclesiae occupent, aut fraudolenter subducant. Idem pro diversitate casuum praestent in obitu Sacerdotum, aliorumque beneficiatorum.

5. In Regulares (1) juxta Leonis XII. mandata, et juxta Encyclicam, regnantis (2) Pontificis Pii Papae IX. nec non in Eremitas, et clausuram Monialium, in virgines quoque tertiarias, vel cuique instituto addictas, suam extendant vigilantiam.

6. Praeterea Sacerdotes exteros, praesertim non cognitos, aut qui dimissorialibus carent litteris, quibus celebrandi facultas probetur, a Missae celebratione prohibeant. Cum autem in publicas quaeritandas eleemosynas quaedam irrepserit abusio; haud sinant Vicarii Foranei, ut quis eas, exceptis tantum nostrae Dioecesis regularibus, publice colligant, nisi prius facta a nobis fuerit in scriptis facultas, pro recognoscendis appositis conditionibus exhibenda.

7. Sodalitatum congregationibus praesint, easque juxta praescriptas dirigant regulas, earumque administratores ad sibi rationem quotannis reddendam cogant, et de re gesta ad nos referant.

---

(1) Mand. Leonis XII. 1828.
(2) Encycl. Pii Papae IX. 1849.

Admoneant etiam tabelliones identidem, ut, si quod legatum ad pias causas subscripserint, ad nos exemplar intra mensem deferre non omittant.

8. Festorum praesertim dierum violationem et inobservantiam, verba blasphema, impudica scandala, ebrietates, atque alia id genus, omni, qua poterunt, ratione praepediant, et de his nos certiores faciant. In venia autem alicujus operis servilis concedenda, non sint leves, nec faciles, sed prudentes et cauti. In id etiam potissimum incumbant, ut quidquid in his synodalibus constitutionibus servandum statuimus, id omne in eo, quod quemque respicit, a cunctis sartum tectumque habeatur. Alia demum plura, quae Vicariis sint obeunda Foraneis, hac illac in hac Synodo sparsim decrevimus. Hinc, ut suo quisque munere defungi possit, hanc apud se Synodum habeat, necesse est.

9. Quoad eam vero, qua Vicarii foranei pollent, auctoritatem; caveant, ne illam, quae finibus sane exiguis continetur, praetergrediantur. Hinc causas Civiles, quae ad quinque (1) scutata pertingunt, tantum dirimant. Quoad crimina, querelas tantum, quae ad nostram curiam pertinent, recipiant, nec non inquirant. Inquisitionis autem tabulas, atque acta inchoata ad nostrum Vicarium generalem statim deferant. Facultatem etiam faci-

---

(1) S. C. Ep. in Trojanen. 27. Martii 1590. — S. C. C. in Hortan. 20. Jun. 1698.

mus, ut eum, qui in ipso gravis criminis actu deprehendatur, in carcerem adduci, jubere possint. Hinc Vicariis foraneis sint Cancellarius, et Procurator, quorum tamen electio ad nos spectat.

10. Vicarios demum Foraneos apud omnes in honore habendos esse volumus. Ipsi vero sint benigni, et ea sectantes, quae (1) pacis sunt. Nec cujusquam accipiant personam; absint ab omni dolo; ingenuaque fide nobis respondeant. Cum inter Clericos emineant, prae caeteris doctrina et moribus praelucere debent. Cum autem ipsi stent pro legum custodia, prae caeteris etiam leges adimpleant, necesse est; ne in quo alterum judicant, se ipsos (2) condemnent. Sese igitur, veluti exemplum pulcherrimum, omnibus exhibeant in conversatione, in charitate, in fide, in castitate (3).

---

(1) ad Roman. 14. 19.
(2) ad Roman. 2. 1.
(3) ad Timoth. 4. 12.

CAPUT XV.

DE CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS.

—

1. Has ad exitum perduximus, Deo bene juvante, synodicas constitutiones, in quibus condendis nihil aliud spectavimus, nisi ut, quod ad errores eliminandos, ac vitia coercenda; quod ad rectam tum morum, tum ecclesiasticae disciplinae rationem servandam et regendam, quod ad res Ecclesiae tuendas atque administrandas utilius atque opportunius esse dignovimus; id omne, prout pastoralis nostri muneris cura postulabat, colligere et decernere niteremur. Ex Sacra quidem Scriptura, ex conciliis, ex jure canonico, ex pontificiis constitutionibus, sacrarumque Congregationum sententiis ea selegimus omnia, quae nunc, veluti in codicem collecta, exhibemus; ut sic quodammodo sit nostrae Dioecesis utilitati, vel necessitati consultum.

2. Quapropter plura, quae vel neglecta, vel dilapsa, vel ignorata videbantur, rursus excitare; quae temporis ratio ac necessitudo reposcebat, in medium afferre; quae erant pro circumstantiis mutanda, nunc juxta probatam Ecclesiae doctrinam, mutare atque in melius vertere; quae in aliis Decessorum nostrorum praescripta Synodis fuerant, iis quidem, non sine hominum adhibito prudentum

consilio, alia providenter addere, studuimus: quae omnia tamquam amantissimi potius parentis monita, quam jubentis Praesulis mandata, apud omnes habenda esse confidimus. Deus virtutum respiciat de caelo, et videat, et visitet vineam istam; et ne aper de silva exterminet eam, neque singularis ferus depascatur eam, (1) Deus ipse perficiat, quam plantavit dextera sua.

3. Verum, ut Constitutiones nostrae non frustra conditae sint, sed execulione compleantur; eas quidem vim legis habere, auctoritate tum ordinaria, qua pollemus, tum a sede apostolica delegata decernimus, ac sancimus.

4. Hinc praecipimus, ut illae post duos menses, ubi typis editae et per nostrum edictum publicatae fuerint, ab omnibus et singulis viris ecclesiasticis, etiam regularibus, atque ab ipsis laicis in iis rebus, quae praesertim ad illorum unumquemque attinent et spectant, observentur, atque, veluti si cuique essent edictae, habeantur.

5. Si quae dubia in his constitutionibus interpretatione indigeant, ad nos tantum, nostrosque Successores illorum explicatio spectat ac solutio; cum nostri, nostrorumque Successorum etiam sit, has constitutiones, prout temporum circumstantiae postulabunt, vel temperare, vel immutare.

6. Cum necesse sit, ut legem ignorent, qui eo,

---

(1) Psal. 79. 15, 16.

ubi lex continetur, codice careant; hinc Canonici, Parochi, Vicarii Foranei, Sacerdotes omnes, omnesque Clerici, qui ecclesiastico beneficio fruuntur, quique sacris cupiunt ordinibus initiari, has synodicas constitutiones sibi comparent, penes se retineant ac meditentur, ut suam ex hoc volumine intelligant singuli, dirigantque viam. Parochi vero omnia, quae in hac Synodo praescripta ad populum pertinent, vernaculo sermone nuntient, atque explicent, ut vitam moresque suos juxta eorum normam componere quisque possit.

7. Ut Synodicis decretis atque edictis omnes obtemperent, expedit, Vicarium Generalem, Vicariosque Foraneos invigilare vel maxime. Quos non deterret culpa, ad illorum observantiam poenis cohibeantur. Etsi quandoque aliquid aut tenui aut nulla adjecta poena decretum sit, quisque sese non impune abiturum esse sciat. Semper autem nostri nostrorumque Successorum erit, tum poenas addere ac augere, tum immutare atque omnino remittere.

8. Sanctae Romanae Ecclesiae, quae omnium Ecclesiarum mater est, ac firmamentum veritatis, ejusque supremo Capiti, Romano Pontifici, Jesu Christi in terris Vicario, omniumque Christianorum Magistro, omnia, quae jussimus et decrevimus et statuimus, ea animi demissione subjicimus, ut, quae emendanda et corrigenda sint, per Sedis Apostolicae auctoritatem emendentur, et cor-

rigantur; quae autem ab ipsa et rata et probata sint, nos etiam rata et probata habeamus.

9. Vos denique fratres et filii carissimi, estote factores verbi et non auditores (1) tantum: factor enim operis, hic beatus in facto suo erit. Omnia autem facite sine (2) haesitationibus, ut sitis simplices filii Dei sine reprehensione: Crescite in gratia (3) et in cognitione Domini Nostri Jesu Christi, cui est gloria (4) in saecula saeculorum.

Amen.

---

(1) Jac. 1. 22.
(2) ad Philippen. 2. 14.
(3) Petr. 2. 3. 18.
(4) ad Hebr. 13. 21.

FINIS SYNODI

APPENDIX

AD

SYNODUM

APPENDIX
PRIMÆ PARTIS

I.

FORMOLA DEGLI ATTI DI FEDE, SPERANZA CARITA' E CONTRIZIONE.

ATTO DI FEDE

Io credo fermamente tutto quello, che mi propone a credere la santa Madre Chiesa Cattolica; perché glielo avete rivelato voi, Mio Dio, che siete Verità infallibile; e principalmente io credo, che vi è un solo Dio in trè persone divine, uguali, e distinte, che si chiamano Padre, Figliuolo, e Spirito santo; che il Figliuolo si fece uomo, prendendo per opera dello Spirito Santo carne ed anima umana nel ventre della purissima Vergine Maria, morí per noi in Croce, risuscitò, salì al Cielo, e di là ha da venire alla fine del mondo a giudicare tutti i vivi e i morti, per dare per sempre ai buoni la gloria del Paradiso, ed ai cattivi le pene eterne dell' Inferno; e di piú per l' istesso motivo credo tutto quello, che crede, ed insegna la medesima Santa Chiesa.

ATTO DI SPERANZA

Dio mio, perchè siete onnipotente, infinitamente buono, e misericordioso io spero che per i meriti della passione e morte di Gesù Cristo mi darete il perdono de' miei peccati, e la gloria del Paradiso, come voi fedelissimo mi avete promesso, se farò opere da buon Cristiano, come sono risoluto di fare col vostro santo ajuto.

ATTO DI CARITA'

Dio mio, perchè siete sommo, e perfettissimo bene io vi amo sopra tutte le cose; e per amor vostro, amo, e voglio amare il prossimo mio come me stesso.

ATTO DI ATTRIZIONE, E CONTRIZIONE

Dio mio, mi pento, e mi dolgo, perchè peccando ho perduto il Paradiso, e meritato l'Inferno; ma molto più mi pento, perchè ho offeso Voi sommo bene, e vorrei prima esser morto, che avervi offeso; e propongo fermamente colla vostra santa grazia di prima morire, che più peccare nell'avvenire, e di fuggire le occasioni prossime del peccato.

II.

12. Affinchè i Parrocchiani conoscano con precisione le spese de' Funerali, abbiamo da ciascun Parroco richiesto, quale sia lo stile legittimamente introdotto. La nostra Curia rimetterá l' elenco classificato da affiggersi nelle rispettive Sagrestie, ed attenderà tre mesi a decorrere dall' affissione, onde ognuno possa amettere osservazioni ragionevoli; quali si prenderanno in considerazione per modificare, o confermare l' elenco. Non sarà lecito al Parroco, o a chicchesia discostarsi menomamente dall' elenco approvato sotto la pena del doppio della propina mal percetta applicabile per metà al Culto, per metà al solvente come di giustizia.

13. Anche i Diocesani tutti é bene, che conoscano negli affari colle nostre Cancellerie o Generale, o Foranee il preciso delle competenze. Ancorchè poi non abbiamo sentiti lamenti attesa la modicità di esse, e l' onestà de' Funzionarj nell' attenersi all' Innocenziana, tuttavia prese ed e-

saminate le note, che ci vennero favorite da sei attigue Curie Vescovili, ragguagliandole con tutta l'accuratezza nelle Congregazioni presinodali allo stile, ed alle parziali circostanze della nostra Diocesi, abbiamo fatto rediggere un regolare catalogo, che verrà nella prossima nostra terza Sacra Visita ad Limina presentato alla S. Congregazione del Concilio, onde, se lo troverà meritevole di approvazione, si degni ratificarlo, e così tenerlo pure esposto nelle Cancellerie.

14. Quantunque nella generalità le Amministrazioni di Luoghi pii abbiamo nelle Sacre Visite riconosciute bene organizzate: tuttavia per l'esaurimento del nostro obbligo impostoci specialmente dal Sacro Concilio di Trento, ci occupiamo di formare una Commissione centrale, ove gli obbligati dal 1°. Sacro Concilio all'annuo rendiconto conseguiscano con facile metodo l'opportuno decreto di lode, o di indennizzo, o di migliore sviluppo secondo la giustizia, e l'integrità.

15. Questa stessa Commissione si occuperà per l'adempimento, e discarico de' Legati pii giusta le prescrizioni del chiaro nostro Predecessore Mons. Carsidoni 20. Dicembre 1832.

16. Con nostro decreto 7. Marzo 1856. abbiamo precisate le norme per l'ispezione de' fondi rustici, ed urbani, onde i beni della Chiesa non siano deteriorati per incuria de' possessori, o amministratori. Rammentiamo lo stretto obbligo, che hanno i Beneficiati di mantenere, e migliorare le

Case destinate per l'abitazione, ancorchè (per alcun motivo da approvarsi da Noi) non vi soggiornino: così lo stretto obbligo circa l'erogazione delle rendite, come nel Corpo del Jus Canonico, e presso gli approvati Trattatisti.

17. Si osservino le ripetute ingiunzioni circa il previo attestato, che richiedono taluni per allevare bambini della pia Casa degli esposti, e si invigili, che non sia defraudata l'aspettazione di fiducia nell'allevare rettamente con sviluppo fisico, e morale il fanciullo, o fanciulla, e non per mera speculazione lucrativa.

18. Il Regolamento per l'eriggenda Casa de' Vecchj sia osservato da chi presiederà, e da quanti saranno ammessi al beneficio del ricovero, e dell'alimento.

19. I Notari adempiano all'obbligo di trasmettere la copia d'Istromenti in Cancelleria Generale, quando vi sono affari Ecclesiastici; così delle particole testamentarie, quando vi sono cause pie, nonché sodisfino agli ordini della s: m: di Pio Papa VII. 31. Marzo 1816. communicati a tutti i Vescovi circa i sussidj testamentarj di carità, con successive modificazioni della Direzione Generale del Bollo, Registro, Ipoteche, e Tasse riunite.

20. Saranno diligenti i RR. Vicarj Foranei, ed i RR. Parrochi ad indicarci, se vi siano sventurati fanciulli Sordo-Muti, onde applicare le norme della Circolare 24. Giugno 1858. dell'Emo Presidente del pio Istituto.

VII.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS

Diebus Sanctae Pentecostes 27. 28. 29. mox praeteriti Maii celebrata est majori hoc in templo prima Synodus Dioecesana. Ut exemplar et praesidium Clerus universus sibi constitueret, ad Beatissimam Virginem Mariam humiles porrectae sunt preces; de ipsa enim scribebat Seraphicus Doctor, et Concivis D. Bonaventura: « Deus fecit Eam ideam » perfectionis, virtutis et sanctitatis, ut ipsa es- » set exemplar decoris et gratiae tam angelorum » quam hominum, quin et creaturarum omnium; » immo fecit ut Ipsa esset imago Divinitatis ».

Benignissima Domina quemadmodum centum viginti in caenaculo sedentes sua praesentia, et intercessione adjuvit, et laetificavit; ita omnium in Synodo adstantium mentes, cordaque composuit, ut mira consensio, et gaudium ab exordio usque ad pacis osculum indesinenter acceptam imo desideratam Synodi reddiderint celebrationem. Hinc omnium acclamatio respondit mihi in extrema allocutione sciscitanti, num placeret, quod Festum B. M. V. Divini Pastoris Matris a Sancta Apostolica Sede impetraretur celebrandum, tum ad memoriale beneficiorum, tum ad Christiani populi instaurationem adprecandam. Nunc

Capituli, et Cleri votis obsecundans, rogo instanter Eminentiam Vestram Reverendissimam, ut in posterum Festum cum Missa et Officio propriis, aliis cum Dioecesibus, et Regularibus Ordinibus indultum, liceat mihi in Ordinario annuali inserere. Dies designanda fuisset quidem gratior Dominica 4. Maii: sed plerumque est impedita ratione Solemnitatum Spiritus Sancti, vel Augustissimae Triadis, vel diebus infra Octavam Corporis Christi; idcirco sedes firmior esset Dominica V. post Pascha.

Supplicem hunc libellum resignabit Canonicus Senior Andreas Agostini Promotor Synodalis. Interim purpurei poderis oram demisissime deosculor, et glorior profiteri. — Eminentiae Vestrae Reverendissimae — Balneoregii IX. Kal. Julias 1860. — Humillimus, et Observantissimus Famulus Verus ✠ Cajetanus Episc. Balneoreg. — Emo ac Rmo S. R. E. Cardinali Constantino Patrizj S. R. C. Praefecto — Romam.

BALNEOREGIEN.

Quum in Synodo Dioecesana Balneoregii celebrata circa finem mensis Maii vertentis anni unanimi voto inter cetera statutum fuerit, humillimis precibus a Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPA IX. postulare, ut de Benignitate Apostolica ad Clerum Balneoregiensem Saecularem, et Regularem Dioecesano Kalendario utentem extendere

dignaretur Officium proprium cum Missa Beatae Mariae Virginis Divini Pastoris Matris ritu duplici majori persolven. Dominica quinta post Pascha Resurrectionis; Rm̃us Dominus CAJETANUS BRINCIOTTI Episcopus Balneoregien. haec singula exponens, Sanctissimum eumdem Dominum suppliciter exoravit pro ejusmodi Officii proprii cum Missa extensione. Sanctitas Sua, referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, pro gratia benigne annuit, sub lege tamen ut Officium Deiparae Divini Pastoris Matris affigatur certae diei, quae libera sit in Kalendario Dioecesano arbitrio Episcopi Oratoris; dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 5. Julii 1860.

C. EPISCOPUS ALBANEN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

Loco ✠ Sigilli

VIII.

SAGRA CONGREGAZIONE DELL' IMMUNITA' ECCLESIASTICA E CONTROVERSIE GIURISDIZIONALI

ROMA DALLA SEGRETERIA

Li 20. *Novembre* 1860.

LA SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE PIO PAPA IX. ha dichiarato, che il Chierico *non in sacris*, sia celibe, sia conjugato, allorchè per non avere esattamente osservato, quanto è disposto dal Sacrosanto Concilio di Trento *sess.* 23. *c.* 6. *de reformatione* perde il privilegio del foro, s' intenda, e sia *ipso jure*, *et ipso facto* decaduto da tutti i privilegi clericali per modo, che debba esser considerato e trattato come persona meramente laica anche nelle cause criminali, e per gli effetti penali, senza che da ora in poi si richieda la precedente trina monizione, o la dichiarazione particolare sopra tale decadenza.

Questa Pontificia disposizione si partecipa a V. S. per istruzione, e norma negli occorrenti casi, e si compiacerà accusarne il ricevimento.

IL PREFETTO
B. CARD. BARBERINI

Il Segretario
S. Arciv. di Seleucia

IX.

STATUTO DELLE CONFRATERNITE DI S. PIETRO APOSTOLO ERETTE IN TUTTI I PAESI DELLA DIOCESI DI BAGNOREA E CON PATENTE DEL 10. GENNAJO ANNO CORRENTE AGGREGATE ALLA VEN. ARCICONFRATERNITA DI ROMA

Con la Nostra Circolare del 25. Dicembre, giorno auspicatissimo del S. Natale, abbiamo estesa la erezione della Confraternita di S. Pietro Apostolo, dopo d'averla eretta canonicamente in Bagnorea, in tutte le Parrocchie della Nostra Diocesi. Quantunque in quella Circolare ne avessimo tracciate le norme; pure, a migliore andamento della Pia opera, abbiamo creduto svolgerle e svilupparle, adattando con qualche variazione gli statuti della Ven. Arciconfraternita di Roma, approvati dalla S. Congregazione de' Vescovi, e Regolari con Decreto del 19. Aprile 1861.

È cura dei RR. Parrochi adempire quanto viene disposto nel §. IV. e specialmente nel N'. 12. dandone discarico quanto prima.

I.

Scopo della Confraternita e mezzi a raggiungerlo

Nei tempi calamitosi, in cui viviamo, si sente troppo forte dai buoni il bisogno di serrarsi attorno al Supremo Gerarca della Chiesa per rimanere saldi nella Fede Cattolica, Apostolica, Romana, e per combattere potentemente i nemici della medesima.

E per riuscire vittoriosi nella gran lotta, le armi, che dobbiamo usare, sono la preghiera, e le opere di carità cristiana.

Pregare adunque il Signore acciò dia a' suoi Ministri forza e lume per vincere gli assalti dell' errore, e per istruire i Popoli nella verità; chiedere che la Fede fiorisca e si consolidi, ove fu piantata, e si estenda là ove non esiste; implorare, che Iddio ricuopra della sua efficace protezione la S. Sede, Centro della cattolica Unità, e colla sua potente Mano sostenga il suo Vicario qui in Terra, facendolo, secondo le promesse, trionfare di tutte le tempeste suscitate dall' Inferno; concorrere infine a sostenere colla voce, collo scritto, e colle oblazioni la libertà della Chiesa, e l' Indipendenza del suo Capo, cui la malvagità degli Uomini cospira a spogliare del dominio temporale per rendergli difficile, a non dir nullo, il Governo spirituale, ecco i grandi fini, a cui tende la Pia Società istituita sotto il Titolo, e il Patrocinio di S. Pietro Principe degli Apostoli.

II.

Modo di Ascrizione

1. Al Sodalizio può essere ascritto qualunque Fedele d'ambo i sessi senza distinzione di Classi; esso è pur libero di ritirarsi qualunque volta il voglia, nulla essendovi di obbligatorio in questa Società.

2. Per esservi ascritto deve manifestarne il desiderio ai Raccoglitori delle limosine stabiliti nella propria Parrochia, o ad alcuno dei membri del Consiglio, di cui si parlerà in appresso. I Raccoglitori poi, e i Membri del Consiglio dovranno in ogni bimestre nell'adunanza Consiliare presentare l'elenco dei nuovi Ascritti colle loro oblazioni.

3. Se qualche diocesano volesse in via di eccezione ascriversi alla Confraternita di Bagnorea, lo può fare liberamente: dovrà peró per esservi ammesso avanzarne memoria al Presidente, che ne sentirà in proposito il Consiglio.

4. L'ascritto deve dare il suo nome, e cognome indicando l'offerta, che vuol fare mensilmente. Se però qualcuno degli oblatori non volesse comparire nella pubblicazione delle offerte che il Consiglio stimasse opportuno fare, potrà prendere un motto o un pseudonimo.

III.

Doveri degli Ascritti, e Indulgenze, che lucrano

5. Ogni associato reciterà giornalmente un Pater, Ave, Gloria, e Credo per ottenere da Dio il trionfo della S. Sede, e della Chiesa. Sopperirà inoltre ai bisogni straordinarj della S. Sede col mezzo di oblazioni mensili in quella misura, che gli permetteranno le sue forze, e che gl' ispirerà la propria devozione. Possono gli Ascritti far doni in oggetti invece delle limosine pecuniarie.

6. Oltre la preghiera, e la Offerta, sarà assai commendevole, che gli Associati, i quali sono versati nello scrivere, seguendo l' esempio di tanti illustri Scrittori, procurino sostenere colla penna i diritti della S. Sede. I Padri di famiglia faranno gran bene nello ispirare ai loro figli speciale devozione, rispetto, ed attaccamento al Sovrano Pontefice.

7. L' associato che devotamente, e con cuore contrito reciterà il detto Pater, Ave, Gloria, Credo lucrerà ogni giorno sette anni d' Indulgenza, ed altrettante quarantene, a forma dei Brevi Pontificj riportati nella nominata Nostra Circolare. Acquisterà inoltre l' Indulgenza Plenaria tre volte all' anno, cioè nel giorno della Cattedra di S. Pietro in Roma (18. Gennajo), nella festa di S. Pietro, e S. Paolo (29. Giugno), e in quella di S. Pietro ad Vincula (1. Agosto), purchè peral-

tro in detti giorni confessato e comunicato visiti devotamente qualche pubblica Chiesa dai primi Vesperi precedenti alla festa fino al tramonto del sole della festa stessa, pregando secondo la intenzione del S. Padre espressa nel Breve, cioè per la concordia de' Principi Cristiani, la estirpazione delle eresie, e la esaltazione di Santa Chiesa; finalmente per ogni opera buona diretta al fine dell' opera Pia il Santo Padre accorda 300. giorni d' Indulgenza.

8. Tutte queste Indulgenze sono applicabili per modo di suffragio anche ai defonti.

9. Sebbene gli atti di pietà non sia mestieri farli in comune per ottenere le Indulgenze, pure sarà libero al Presidente della Confraternita di proporre al Consiglio quelle funzioni, od adunanze religiose, od altri atti di pietà, che secondo le circostanze esso credesse di fare in comune, quante volte vi occorra il permesso del Vescovo.

IV.

Del governo della Confraternita

10. Tutte le Società della Diocesi sono sotto l' autorità e direzione del Vescovo.

11. Ciascuna poi è governata immediatamente da un Consiglio composto d'un Presidente, d'un Cassiere, e di quattro Consiglieri. Il Cassiere eletto per Bagnorea riceverà anche le somme di-

rettegli dai Cassieri della Diocesi. Il Consiglio é assistito da un Segretario.

12. Il Presidente, e gli altri Officiali saranno scelti o confermati dalla riunione generale de' Confratelli, e dureranno nel loro officio per un triennio. Siccome però nella riferita Nostra Circolare fu nominato il Cassiere generale, così questi rimarrà per un triennio nel suo officio.

13. Il Consiglio si adunerà quand' occorre, ma non meno di una volta ogni bimestre. Lo convoca e vi presiede il Presidente.

14. Tutti gli affari, eccettuati gli urgenti, sono discussi e decisi dal Consiglio a maggioranza di voti, che saranno sempre pubblici, e verbali, a meno che non si tratti di nomina o sostituzione a qualche officio. Il Presidente ha doppio voto in caso di parità.

15. Tutti gli atti sono sottoscritti dal Presidente, e dal Segretario.

16. Non saranno ammesse al Consiglio che probe, e specchiate persone tanto tra gli Ecclesiastici, quanto tra i Laici.

17. Allo scadere del triennio delle cariche, una riunione generale dei soli Confratelli arrivati alla età di ventunanno compiti procederà alle nuove elezioni per voti segreti. I Confratelli saranno invitati con avviso d' affiggersi alla porta delle respettive Chiese Parrocchiali. L' adunanza potrà aver luogo, se vi sarà presente almeno la metà dei medesimi. Non trovandosi il numero sufficien-

te si ripeterà immediatamente l'invito per tenerla in altro giorno da fissarsi dal Presidente; e in questa seconda adunanza si procederà alla elezione, qualunque sia il numero degl' intervenuti. Gli eletti saranno quelli, che avranno la maggioranza dei suffragi. Il Presidente, il Cassiere, ed il Segretario dovranno essere confermati dal Vescovo.

18. In ogni Parrocchia si costituirà a piacere del Consiglio uno, o più raccoglitori, che terranno due registri, uno delle offerte, l' altro dei Confratelli, e Consorelle iscritte, indicando in quest' ultimo il denaro mensile, che si propongono offerire, e i pagamenti eseguiti.

19. Si accettano offerte dai Corpi Morali, come sarebbero Capitoli, Conventi, Monasteri, Luoghi Pii, e Confraternite.

20. Ogni bimestre il Presidente convoca il Consiglio, innanzi al quale i Raccoglitori renderanno conto delle somme introitate, che nel giorno immediatamente seguente depositano verso ridevuta nelle mani del Cassiere. È però in loro libertà eseguire anche prima il deposito.

21. Il Cassiere senza ritardo e per sicura occasione rimetterà tutte le somme incassate al Cassiere generale in Bagnorea, dal quale, presi i concerti col Vescovo, saranno spedite in Roma.

22. Ogni adunanza, sia del Consiglio, sia generale, sarà aperta col *Veni Sancte Spiritus*, e chiusa coll' *Agimus tibi gratias*.

Il presente Statuto sarà notificato a tutti i Con-

fratelli, e Consorelle nel modo che crederanno migliore i Presidenti, e nelle generali riunioni d' ogni triennio sarà letto ad alta voce dai Segretarj prima di devenire alla rinnovazione dei Membri del Consiglio.

Dato in Bagnorea dal Palazzo Vescovile addì 7. Luglio 1861.

G. VESCOVO

X.

TABELLA RERUM

QUAE A PAROCHIS UNIVERSIS SUNT STATIS DIEBUS INTER MISSARUM SOLEMNIA PUBLICE ANNUNTIANDAE.

In die Circumcisionis, et in Dominica ultima Junii.

Edictum de Observantia dierum Festorum — Append. pars 5. N. I.

Dominica prima post Epiphaniam et Dominica ultima Julii.

Doceatur populus de iis, quae impediunt, et quae dirimunt Matrimonium — App. p. 2. N. VI.

Dominica Septuagesimæ, et Dominica secunda Augusti.

Summa Constitutionis S. Pii V. ad extirpandam Blasphemiam — App. p. 1. N. IV. — Indulgentiae pro illis, qui Blasphemas corrigunt etc. — App. p. 1. N. VIII.

Dominica Sexagesimæ et Dominica secunda Septembris.

Summma Indulgentiarum, quae acquiri facile possunt — App. p. 2. N. III.

Dominica prima Quadragesimae et Dominica prima Adventus.

Edictum S. Officii — App. p. 1. N. IV.

Dominica tertia Quadragesimae et Dominica secunda Novembris.

Indulgentiae iis concessae, qui Doctrinam Christianam docent, et frequentant — App. p. 1. N. X.

Dominica Sanctissimae Trinitatis.

Indulgentiae concessae iis, qui solemnitatem SS. Corporis Christi colunt, et Divina Officia, etiam per totam octavam, frequentant — App. p. 2. N. III.

Dominica nona post Pentecosten et Dominica secunda Octobris.

Edictum super veneratione Ecclesiarum — App. p. 5. N. III.

Dominica prima Septembris et Dominica ultima Decembris.

Indulgentiae iis concessae, qui sanctissimum Viaticum comitantur — App. p. 2. N. III.

XI.

OFFICIALES LECTI IN SYNODO

JUDICES SYNODALES

Rm̃us D. JOANNES FRANCISCUS VEZZOSI Archidiaconus Eccl. Cathedralis.
Rm̃us D. ALOISIUS JANNI Can. Prior Eccl. Cath.
Rm̃us D. DOMINICUS VEZZOSI Can. Eccl. Cath.
Rm̃us D. NICOLAUS BARBACCI Can. Theologus, Vicarius Lateranensis.
Rm̃us D. ALOISIUS BACCHI Can. Eccl. Cath.
Rm̃us D. PETRUS ARTEMI Can. Eccl. Cath.

EXAMINATORES SYNODALES

Rm̃us D. JOANNES FRANCISCUS VEZZOSI Archid. Eccl. Cath.
Rm̃us D. ALOISIUS JANNI Can. Prior Eccl. Cath.
Rm̃us D. HIERONYMUS VEZZOSI Can. Eccl. Cath.
Rm̃us D. DOMINICUS VEZZOSI Can. Eccl. Cath.
Rm̃us D. OCTAVIANUS ZANNINI Can. Eccl. Cath.
Rm̃us D. ALOISIUS URBANI Can. Eccl. Cath.

Rm̃us D. ALOISIUS BACCHI Can. Eccl. Cath.

Rm̃us D. VICTOR POMPILI Can. Parochus Eccl. Cath.

Rm̃us D. ANGELUS MARINI Can. Parochus Eccl. Cath.

Rm̃us D. LEANDER TRAVAGLINI Can. Poeniten. Eccl. Cath.

Rm̃us D. PETRUS ARTEMI Can. Eccl. Cath.

Rm̃us D. ALOISIUS LEONIDI Can. Eccl. Cath.

Rm̃us D. CHRISTOPHORUS CRISTOFORI Can. Eccl. Cath.

Adm. R. D. NICOLAUS GENTILI Cappellanus Eccl. Cath.

Adm. R. D. FRANCISCUS BELLI Presbyter Juris utriusque Doctor.

EX CLERO FORANEO

Rm̃us D. ALOISIUS VITTORI Can. Honorarius Eccl. Cath. et Archipresbyter Eccl. Muniani.

Adm. R. D. HIERONYMUS MONTI Archipresbyter Eccl. Collegiatae Castilionis.

Adm. R. D. JOANNES ARTEMI Archipresbyter Eccl. Polymartii.

Adm. R. D. ANGELUS NERI Prior Eccl. Civitellae.

Adm. R. D. HANNIBAL BERNESI Vicarius Foraneus Civitellae

Adm. R. D. DOMINICUS OLIVIERI Vicarius Foraneus Viturclani.

Adm. R. D. DOMINICUS PADOVANI Parochus Eccl. S. Amantii Viturclani.

Adm. R. D. ANGELUS PACIFICI Vicarius Foraneus Cryptarum S. Stephani.

Adm. R. D. ANGELUS ANTONIUS PACIFICI Praepositus Eccl. Cryptarum S. Stephani.

Adm. R. D. ALOISIUS FINAROLI Vicarius Foraneus S. Michaelis.

Adm. R. D. FRANCISCUS ZANNINI Archipresbyter Eccl. Arcis Alvetiae.

Adm. R. D. PETRUS LANZI Archipresbyter Eccl. Graffiniani.

R. D. FRANCISCUS CHIARIONI Presbyter Viturclanensis.

EX CLERO REGULARI

Adm. R. P. JOSEPH TRAMBUSTI ex ordine S. Camilli de Lellis.

Adm. R. P. JOSEPH GALANTI Guardianus in hoc Coenobio Fratrum Minorum Conventualium.

Adm. R. P. JOANNES MARIA A CERIANA Guardianus in hoc Coenobio Fratrum Capulatorum.

R. P. LUDOVICUS A CERIANA Sacerdos Capulatus.

R. P. SALVATOR A CERIANA Sacerdos Capulatus.

PRAEFECTI DOCTRINAE CHRISTIANAE

EX CLERO URBANO

Rm̃us D. VICTOR POMPILI Can. Parochus Eccl. Cath.
Rm̃us D. ANGELUS MARINI Can. Parochus Eccl. Cath.

EX CLERO FORANEO

Adm. R. D. HIERONIMUS MONTI Archipresbyter Eccl. Col. Castilionis.
Adm. R. D. ALOISIUS PETRA Archipresbyter Eccl. S. Michaelis.
R. D. SERAPHINUS BIANCHI Cappellanus S. Sepulcri in Castro Cellesio.
R. D. FRANCISCUS PRESSUTTI Presbyter Viturclanensis.

TESTES SYNODALES

Noti Illm̃o et Rm̃o DOMINO EPISCOPO, EJUSQUE VICARIO GENERALI.

PRAEFECTI MUSICAE

ne profana et indecora in Ecclesiis conantur.

Rm̃us D. CANONICUS SACRISTA pro tempore Eccl. Cath.
Rm̃us D. ALOISIUS LEONIDI Can. Eccl. Cath.

EDICTUM
PUBLICATIONIS PRIMAE SYNODI BALNEOREGIENSIS

CAJETANUS BRINCIOTTI
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPUS BALNEOREGIENSIS
ETC. ETC.

Notum sit omnibus sive Ecclesiasticis, sive Laicis nostrae Balneoregiensis Civitatis, et Dioecesis, quod Constitutiones primae nostrae Synodi habitae diebus S. Pentecostes 27. 28. 29. Maji 1860, typis jam sunt demandatae, et in lucem editae. Quapropter juxta Decretum in eadem Synodo latum omnes praedicti cujuscumque gradus, sive coetus sint Sæcularis, seu etiam Regularis, prout quemquam illorum praefatae Constitutiones tangunt, intra duos menses a praesenti edictali publicatione adstricti remaneant, ac obligati ad earum observantiam, uti fuissent singulis de more indictae.

Quamvis autem hortatio sufficeret,

ut illorum quislibet Synodalium Constitutionum codicem sibi provideat, et apud se, vel in Archivio asservet, pro gravitate rei, pro stylo consueto, et pro obedientiae merito addimus præceptum, ut intra mensem ab hujus edicti promulgatione Capitula, Paræciae, Sodalitia, Loca pia, cunctique in sacris Ordinibus constituti aut ecclesiastico Beneficio aucti illum sibi comparent sub poena duplicationis pretii, aliisque indicendis.

Beati vigintisex Martyres Japonienses, et Confessor Michael De Sanctis proximo Pentecostes die a Sanctissimo Domino nostro PIO PAPA IX. solemniter canonizandi intercedant, ut Synodica haec promulgatio Religioni proficiat, simulque a zelo, et laboribus tot Orbis Antistitum hic praesentium non simus degeneres, prout confidimus, si pastorali curae nostrae concrediti et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.

Datum Romae extra Portam Flaminiam die Ascensionis Domini 29. Maii 1862.

✠ CAJET. EPISC. BALNEOR.

COMMENTARIUM BALNEOREGIENSE

In ea Italiae regione, quae Etruria et Tuscia appellabatur, nunc autem Sancti Petri patrimonium, sita est urbs Balneoregii Vulsiniensem inter lacum et Tiberim, Viterbium inter et Urbiventum. Cujus urbis latet origo prima, quae scriptorum memoriam superat. Videtur aetatem praetergredi Romani imperii, cum terrae non latina modo, sed etiam etrusca capiant sepulchra. Et quoniam ager proximus est agro Vulsiniensi, conjici fas est ejus incolas inter Vulsinienses fuisse adnumeratos et ad Vulsiniensem Lucumoniam pertinuisse; quae inter XII. etruscas ditiones non ultimum tenebat locum, ut T. Livii et Plinii praesertim historiae testantur.

Etruscorum mos fuit urbes *vicatim* neque semper continuis struere aedificiis; et nostra haec urbs pluribus ex vicis seu pagis adsurgebat, quorum etiam nunc quidam supersunt *Civita*, *Rhoda*, *Lubrianum*, *Mercatellum*. Immo apud Geographos fere obtinet, ut quam urbem Plinius *Novempagos* nominat, eadem Balneoregium audiri debeat. Quod quidem nomen a nobilibus balneis ei factum esse traditur; et aquae ad ea corrivatae in subiecta valle scatebant et scatent adhuc; atque his balneis conjicitur vel ex

praestantia sua, vel quod a magno Principe fuerint celebrata, regium cognomen additum. Certe in vico *Civita* inter dirutae aedis sacrae, titulo S. Petri, macerias anno 1727. repertus est annulus aureus cum imagine Ducis cujusdam Gothi aut Longobardi, aut Franci et inscripto nomine AVFRET; de quo annulo agit vir cl. Muratorius in Dissertat. XXXV. antiquit. italicarum (*). Paulus Diaconus lib. IV. narrat Urbem Balneoregium Longobardorum armis subactam ad annum fere DCV. Hoc autem Balneoregii nomine jam ante nuncupatam fuisse constat, quamquam illud non constet quando primum eodem nomine fuerit appellata.

Constanter traditum est huic urbi Christianae fidei lumen vel primaeva Christianae religionis aetate affulsisse. Sed qui primus divini verbi praedicatione, virtutum Christianarum exemplis ac miraculorum splendore eam ab idolorum cultu ad Christi fidem amplectendam convertit, is exti-

(1) Duos annulos aureos, *ait*, magnique faciendos communicavit mecum illustrissimus et singulari humanitate spectatissimus vir, Marchio Alexander Capponius, nunc Summi Pontificis Clementis XII. Forerius Major, quem uti egregium antiquitatum cultorem Roma universa veneratur et ego in primis. Uterque annulus est aureus. Primus anno MDCCXXVII. effosus est Balneoregii in maceriis aedis sacrae dirutae, sub arca ubi hominis vita functi cineres jacebant . . . . Septemptrionalis generis viros, hoc est Gothos aut Longobardos aut Francos heic designari mihi persuadeo. Borealem gentem sonant nomina ibi sculpta, hoc est *Aufret* in annulo primo, quod Latini in *Aufredum*, Itali in *Offredo* postea intorserunt.

tit Ansanus Tranquillini civis Romani filius ex clarissima gente Anicia. Fertur is Balneoregii carcere detentus eo in loco, qui modo dicitur — la Madonna delle carceri. — Balneoregio Senas profectus, tot ibi Jesu Christo filios progenuit, ut Baptistae seu baptizatoris nomine fuerit nuncupatus; ipsaque urbs Senarum aeque ac nostra eumdem Sanctum veluti suum apostolum eodem sacro ritu et officio veneretur. Qui quidem in agro Senensi prope Arbiae fluminis ripas, pro Christi nomine dato capite martyrium fecit anno reparatae salutis tertio et tercentesimo.

Atque haec nostra civitas quemadmodum primaevis Christianae religionis temporibus fidei beneficium suscepit, ita etiam Episcopalis Cathedrae decore illustrata est. Vetustissima rei monumenta tempus edax absumpsit: verum ex probatorum sententia auctorum perpetuaque traditione evincitur rem vel ad ipsa Apostolica tempora esse referendam. Duabus S. Gregorii Magni epistolis ad Eulogium sive Ecclesium Clusinorum Episcopum datis hujus Cathedrae mentio fit, non quidem erigendae, sed jam erectae et vigentis. Plurium Balneoregiensium Antistitum nomina in multorum actis Conciliorum perleguntur. Quos inter accensendus est S. Ildebrandus, qui etiam in Romano Concilio anno 868. cum ceteris Episcopis Photium condemnavit. Agunt de eo Bollandistae sub die XXII. Augusti, quo die caelestem hunc patronum nostra haec civitas sacris ritibus colit. Sacrum e-

jus corpus in vetusto templo Cathedrali quiescit; caput vero ad novam Ecclesiam Cathedralem jam translatum, nuperrime in tabernaculo affabre elaborato asservatur et colitur. Cujus rei memoria inscripta legitur his verbis: Cajetanus Brinciotti Episcopus Balneoregiensis SSm̃i Praedecessoris sui Ildebrandi capiti asservando.

Caelestem alteram patronam veneramur Victoriam Virginem, quae illustri martyrio functa est Diocletiano imperatore. Ejus corpus seu potius magna pars corporis a vetustissimis temporibus in antiquo majori templo quiescit: festus autem dies quotannis agitur X. Kal. Januarias.

At primum patronum colimus, nostrae civitatis lumen et decus, Seraphicum Ecclesiae doctorem, Cardinalem Episcopum Alban., S. Bonaventuram, cujus praeclara doctrina pietate sola superata est. Ejus natalis domus a Card. Antonio Puccio in sacram aedem mutata, non longe a veteri Cathedrali Ecclesia surgebat; et adhuc videre est partem areae partemque fundamentorum in extrema praeruptae altitudinis rupe. Atque optimo sane consilio providit Antistes Joannes Ferrini cum anno 1845. ex reliquis fatiscentis parietis saxis curavit aedem extrui in novo S. Francisci templo; eamque Deo O. M. in honorem S. Bonaventurae dedicavit. Ecclesia vero quae titulo S. Bonaventurae prope portam Albanam extabat, in elengatiorem hisce annis redacta formam jam Christifidelium pietati patere caepit. Nos tamquam venerabile erga pa-

triam suam caritatis pignus, in majori templo asservamus dexterum tanti Doctoris brachium argentea inclusum theca; qui ditissimus thesaurus nostrae huic obtigit civitati cura Rm̃i P. Francisci Sampson Ministri Generalis Minorum Franciscalium, anno 1491. Atque haec jam sola S. Bonaventurae reliquia insignis superest; reliquo corpore ab Haereticis absumpto, capite vero cum lingua adhuc illaesa, quod Lugdunenses usque ad exitum praeteriti saeculi venerabantur, vel latente, vel deperdito in armorum et seditionum tumultu. Praeter dexterum brachium diligenter asservamus S. Scripturae codicem, qui S. Bonaventurae, dum in humanis degit, usui erat; atque in eo quaedam notulae seu scholia conspiciuntur ejus, ut traditur, manu conscriptae. Sancti Doctoris translationem corporis annua commemoratione colimus pridie idus Martias; natale vero festum solemni ritu celebramus prid. id. Julias.

Caeterorum nobilissimus vicorum ea nostrae urbis regio erat, quae quasi antonomastice prae reliquis vicis *Civita* appellatur.; ibi Cathedrale templum, quod pluries refectum restat adhuc, cum Episcopalibus aedibus: ibi vetus Seminarium ab anno 1634. ab Episcopo Petro Paulo Febei excitatum est. Sed cum temporum injuria et terrae motibus solique ruinis, aedificiorum incolarumque numerus esset valde imminutus, accessusque factus impervius, Summi Pontificis Innocentii XII. auctoritate ad vicum Rhodam Cathedralis Ecclesia

sedesque Episcopalis cum Canonicorum Collegio et Seminario translata est anno 1699. Collegiata Ecclesia S. Nicolai Barensis Canonicos veteris Ecclesiae Cathedralis S. Donati excepit, et ex duobus conflatum est Capitulum unum duabus cum massis distinctis, et novo Cathedralis Ecclesia titulo SS. Donati, Nicolai et Bonaventurae dedicata. Seminarii aedes primum prope Cathedralem Ecclesiam ad occidentem, deinde ad orientem constitutae: denique anno 1816. Pii VII. summi Pontif. providentia Seminarii clericis adtributum est vetus S. Augustini coenobium. Quemadmodum Cathedrale templum in praesentem formam Joseph Aluffi Episcopus redegit, frontem autem decoravit Cajetanus Eiscopus Baluffi primus apud Neogranatenses Apost. Internuntius; ita Seminarii aedem Episcopus Jo: Baptista Jacobini; quod etiam nova Bibliotheca auxit novisque cubiculis Felix Cantimori Episcopus modo Parmensium pro pio Dioecesanorum Sacerdotum recessu.

Balneoregii floruit aliquando monasterium S. Benedicti, medium fere inter vicos; pluresque erant in valle Monachorum minores aedes, quas *cellas* nuncupabant. Restant adhuc nomina SS. Salvatoris, S. Silvestri ac S. Cypriani. Verum aedes illa maxima excepit Franciscales in ipso fere Ordinis Minorum ortu; ibique sanctus ipse Bonaventura degit, semperque deinde Franciscales incoluerunt usque dum ad novum super colle constructum coenobium immigraverint ipso decimonono saeculo e-

xordiente. Praeter Minorum Conventualium coenobium extat aliud Capuccinorum ab anno 1580. Monialium insuper sacra domus Tertii Ordinis S. Francisci. Adsunt etiam Moniales Virgines a S. Anna ad colendas educandasque puellas. Aedem ad rem suffecit Episcopus Cajetanus Baluffi, modo Card. Episcopus Forocorneliensis; et paucis abhinc annis opportuniorem aedem ampUoremque curavit hujus aetatis Episcopus Cajetanus Brinciotti.

Dioecesis Balneoregiensis non semper eadem latitudo patuit. A finibus Urbiventanis ad Tuscaniensis Dioecesis fines pertingebat, tunc praesertim cum et ipsa urbs Montis Falisci inter nostrae Dioecesis oppida numerabatur; quod quidem extitit usque ad annum 1369. Suppressa antea Sede Episcopali Polymartiensi, huic nostrae Dioecesi ea loca accesserunt; idem contigit quoad partem Ferentanae Dioecesis post excidium Ferenti.

Hic juvat percensere loca, quibus in praesentiarum Dioecesis Balneoregiensis constituitur. Atque haec sunt urbs Balneoregii, Polymartium, ubi extitit vetustissima sedes Episcopalis, et in Episcoporum serie refulget S. Anselmus, Terra Castilionis prope Tiberim cum Ecclesia Collegiata, fidelissima Terra Viturclani ad radices Cimini montis; Lubriani ad septemptrionem Balneoregii, ubi quondam extitit Ecclesia Collegiata S. Jo: Baptistae; Civitellae Alleani; S. Michaelis, quod olim oppidum Castrum Perii appellabatur; Graffiniani, Arcis Alvetiae, Castrum Cellesium, Terra Cryp-

tarum Sancti Stephani, Munianum; praeter minora loca quae sunt Sermuniani, Vajani, Turris montium, Montis Calvelli, Sipicciani, Vallis bonae. Magnam etiam agri Sorianensis partem comprehendit Balneoregiensis Dioecesis cum nonnullis ruralibus Ecclesiis, eodemque in oppido Soriani extat Vicaria Foranea.

Balneoregienses Antistites pro Dioecesanae Ecclesiae sibi commissae sollicitudine plurimas Synodos coegerunt. Sed quarum acta in Cancellaria supersint, octodecim numerantur; nempe Synodus Locati a. 1573, Trotti a. 1599, Ruina a. 1615, Bovio a. 1629, 1632, 1633, 1634, Febei a. 1639, 1646, Candiotti a. 1679, Nardi a. 1703, Elisei a. 1710, 1718, Pini a. 1745. Harum postremae quatuor in nova Caihedrali Ecclesia, primae quatuordecim in veteri sunt actae.

Itaque post quartumdecimum et centesimum annum Synodalem conventum agere aggressus est Episcopus Cajetanus Brinciotti: et magna consensione animorum disciplinaeque ecclesiasticae incremento celebratus est frequentissimo Clero tribus sessionibus anno 1860. diebus 27, 28, 29 Maji.

INDEX APPENDICIS

PRIMAE PARTIS

SECUNDAE PARTIS

TERTIAE PARTIS

QUARTAE PARTIS

QUINTAE PARTIS

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
XIX	— in notis 3	delita	delata
XXIII	— 10	prae emptis	praesentis
XXXIV	— 1	R. P. Joannes Maria etc.	R. P. Ludovicus A Ceriana
XXXX	— 7	tutelarium	titularium
7	— 1	infra - passim	intra
25	— 14	divinas	divinos
37	— 3	acendo	tacendo
33	— 11	Perjurios	perjuros
37	— 20	multos	mutos
41	— 6	fugata	fucata
58	— 3	haec	hae
65	— 20	infundantur	infunduntur
115	— 19	rectique	recteque
118	— 10	adsolvitur	advolvitur
122	— 12	Persistet	pensitet
130	— 13	Satana	Satanae
131	— 2	adipsci	adipisci
131	— 10	post habita	posthabita
142	— 18	dignitus	dignitas
145	— 7	religionis	religiosis
207	— 6	inficietur	inficiatur
220	— 15	longeque	longoque
244	— 20	Omnis	omni
261	— 25	semiclusae	semiclausae
274	— 23	io	eo
285	— 5	electio	elatio
322	— 18	probatis	probati
325	— 16	ut tumulatur	ut tumuletur
342	— 5	evercendum	avertendum
349	— 16	administrat, eam	administrant, ea

APPENDICE

393	— 9	Apostoiche	Apostolici
502	— 12	comminato	comminati
534	— 6	sommistrare	somministrare
536	— 11	prepereranno	prepareranno
536	— 19	Foraneri	Foranei
556	— 28	figlio da	figlio di
562	— 17	amettere	ammettere
578	— 8	App. p. 2. N. VI.	App. p. 2. N. IV.
578	— 12	App. p. 1. N. IV.	App. p. 1. N. VI.